

200

PETRI PITHOEI
COMES THEOLOGUS
SIVE
SPICILEGIUM
EX
SACRA MESSE.



PARISIIS,
Apud DIONYSIUM MARIETTE, viâ Jacobæâ, ſub ſigno S. Auguſtini.

M. DC. XCVI.

Cum Privilegio Regis.



FIDES.

REGULA Fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis hæc : *Tertull. de virg. vel.*

CREDO in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ : & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum: qui conceptus eſt de Spiritu ſancto : natus ex Maria virgine : paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus : deſcendit ad inferna : tertiâ die reſurrexit à

mortuis : aſcendit ad cælos : ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis : inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum: Sanctam Eccleſiam Catholicam : Sanctorum communionem : Remiſſionem peccatorum : Carnis reſurrectionem : Vitam æternam.

Symbolum Nicænum.

CRedo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæ-

cula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundùm Scripturas. Et ascendit in cælum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivifi-

cantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi, Amen.

Symbolum quod Sancto Athanaſio tribuitur.

QUicumque vult ſalvus eſſe: ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem.

Quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit: abſque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate: & Trinitatem in unitate veneremur.
Neque confundentes perſonas: neque ſubſtantiam ſeparantes.
Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii: alia Spiritus ſancti.
Sed Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una eſt divinitas: æqualis gloria, coæterna majeſtas.
Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus ſanctus.
Increatus Pater, increatus Filius: increatus Spiritus ſanctus.
Immenſus Pater, immenſus Filius: immenſus Spiritus ſanctus.
Æternus Pater, æternus Fi-

lius:æternus Spiritus ſanctus.
Et tamen non tres æterni: ſed unus æternus.
Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed unus increatus, & unus immenſus.
Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus ſanctus.
Et tamen non tres omnipotentes: ſed unus omnipotens.
Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spiritus ſanctus.
Et tamen non tres Dii: ſed unus eſt Deus.
Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus ſanctus.
Et tamen non tres Domini: ſed unus eſt Dominus.
Quia ſicut ſingillatim unamquamque perſonam Deum

ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Ita ut per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt: & Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit.
Qui vult ergo ſalvus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.
Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem: ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat.
Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur: quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & Homo eſt.
Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & Homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.
Perfectus Deus, perfectus Homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm divinitatem: minor Patre ſecundùm humanitatem.
Qui licet Deus ſit, & Homo: non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.
Unus autem non converſione Divinitatis in carnem: ſed aſſumptione Humanitatis in Deum.
Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ: ſed unitate perſonæ.
Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt Homo: ita Deus & Homo unus eſt Chriſtus.
Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit à mortuis.
Aſcendit ad cælos, ſedet ad

dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.
Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis : & reddituri ſunt de factis propriis rationem.
Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui verò mala, in ignem æternum.
Hæc eſt fides Catholica : quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis, admittunt novitatem correctionis, operante & proficiente uſque in finem gratiâ Dei. Quantumlibet quæras & tractes, &

omnem libidinem curioſitatis effundas, ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari, eſt utique frater aliquis doctor gratiâ ſcientiæ donatus; eſt aliquis inter exercitatos converſatus, aliquis tecum curioſus, tecum tamen quærens: noviſſimè, ignorare melius eſt, ne quod non debeas, noris: quia quod debeas, noſti. Fides, inquit, tua te ſalvum fecit: non exercitatio ſcripturarum.

Fides in regula poſita eſt, Habes legem, & ſalutem ex obſervatione legis. Exercitatio in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti.

Nihil ultrà ſcire, omnia ſcire eſt.

Idem ad Prax. & l.4. cont. Marc. & de præſcr.

Adversùs omnes novitates hinc præjudicatum ſit, Id eſſe verius quodcunque prius. In omnibus veritas imaginem antecedit, poſtremò ſimilitudo ſuccedit. Ita ex ordine ipſo manifeſtatur, id eſſe Dominicum, quod ſit priùs traditum, ut ab eis traditum, quorum erat tradere: id autem extraneum, quod ſit poſteriùs emiſſum.

Melius & utilius eſt idiotam & parum ſcientem exiſtere, ac per charitatem proximum fieri Deo, quàm putare multùm ſcire, & in Deum blaſphemum inveniri.

Iren. lib. 2. c. 45. Cypr. ſive

De Deo etiam vera dicere periculoſum eſt.

Omnis ſapientia hominis in hoc uno eſt, ut Deum cognoſcat & colat. *Ruf. exp. ſymb. Lact. lib. 3. inſt. c. 30. & lib. 4. c. 4.*

Non per difficiles quæſtiones ad beatam vitam nos Deus vocat. Simplicitate quærendus eſt Deus, pietate profitendus, confeſſione diſcendus eſt, religione intelligendus, caritate amandus, timore venerandus, voluntatis probitate retinendus eſt: ſenſu verò proſequendus non eſt, ſed adorandus. *Hil. l. 10. de Trin. & l. 1. ad Conſt.*

Deus non niſi ſe auctore cognoſcitur. A Deo diſcendum eſt quid de Deo intelligendum ſit: de eo loquendum non aliter quàm ut ipſe ad intelligentiam noſtram de ſe locutus eſt. *Id. l. 5. de Trin.*

De verbis Dei humano

Hier. in Jerem. c. 31. ſenſu argumentari, ſacrilegium eſt.

August. l. 3. de correct. & grat. Quantùm Deus judicia ſua nobis manifeſtare dignatur, gratias agamus: quantùm verò abſcondere, ne adversùs conſilium ejus murmuremus: ſed hoc quoque nobis ſaluberrimum eſſe credamus: illud ſcientes, quod ſicut impoſſibilitas, ita & iniquitas non eſt apud Deum.

Id. lib. de ſpirit. & lit. Id. l. 4. de Gen. ad litt. & Primaſ. in c. 8. ad Rom. De Deo nihil temerè adfirmandum eſt, ſed piâ diligentiâ etiam atque etiam divina tractanda ſunt.

Chryſ. Nolle omnia ſcire, ſumma ſcientia eſt.

Rom. 12. Non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem.

Deut. 32. Interroga patrem tuum,

& annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi.

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutare: ſed de quibus tibi præceptum eſt, hæc intellige. *Eccl. 3.*

Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. *Prov. 22.*

Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientum, & in proverbiis illorum converſare: & ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dabis reſponſum. *Eccli. 8.*

State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea. *Jer. 6.*

Mementote præpoſitorum *Heb. 13.*

veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem. JESUS-CHRISTUS heri & hodie: ipſe & in ſæcula.

Ibid. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.

Tert. l. 4. adverſ. Marc. In ſumma, ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis: pariter utique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum.

Idem de præſcrip. Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.

Aug. l. de uti. cred. & contra ep. Man. Multa ſunt quæ in Eccleſiæ Catholicæ gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet

conſenſio

consensio populorum atque gentium : tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsens successio sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen.

Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsa scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambi- *Id. l. 1. contra Cres. c. 23.*

guitate ſancta ſcriptura demonſtrat.

Id. l. 4. de Trinit. c. 6. Contra rationem, nemo ſobrius: contra ſcripturas, nemo Chriſtianus: contra Eccleſiam, nemo pacificus ſenſerit.

Idem ep. 118. Contra id quod univerſa Eccleſia facit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Id. l. 4. de bapt. contra Don. c. 24. Quod univerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.

Ep. 110. Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur; intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis conciliis, quorum eſt in Ec-

clesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.

Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. *Idem l. contra Jul. Pel.*

Ego illud te breviter commonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti. *Hier. ep. 28. ad Licin.*

Sequamur universitatem, antiquitatem, consensum, teneamúsque quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est divinæ legis auctoritate & Ecclesiæ *Vincent. Lir. Comment. 1.*

Catholicæ traditione.

Sanctos patres in Ecclesia divinitus per tempora & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis unum aliquid sentientes contemnat, non hominem contemnat, sed Deum.

Greg. 1. epist. ad Lean. In una fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa.

Hieron. in Ps. 98. ex Alcuini l. 6. cont. Fel. Miraris si ignorem divinitatis mysterium, cùm meipsum nesciam? Deum intellexisse, credidisse est: Deum nosse, honorare est. Sufficit mihi scire quod scriptum est: sufficit scire mihi quod credo. Plus autem nec volo, nec cupio. Si enim scire voluero, & hoc incipio perdere quod credo. Fideles dicimur, non rationales.

Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt : ita & Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. *Jac. 2.*

SPES.

ORATIO legitima & ordinaria, breviarium totius Evangelii complectens : qua Deus ipſe, quod ſolus potuit, ut ſe vellet orari, docuit, quaque præmiſſa, accedentium jus eſt deſideriorum, jus eſt ſuperſtruendi extrinſecus petitiones. *Tertull. l. de Orat. cap. 1.*

PATER noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum

tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo. Amen.

I.

Judith. 9. DEUS cælorum, Creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miſerum deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem.

Gen. 12. Major eſt iniquitas mea quàm ut veniam merear: minor ſum cunctis miſericordiis & omni veritate quam feciſti cum ſervo tuo.

Luc. 15. Peccavi in cælum & co-

ram te : jam non ſum dignus vocari filius tuus.

Peccavi valde in eo quod feci. Sed nunc, Domine, fac tranſire, quæſo, iniquitatem ſervi tui : quia ſtultè egi valde. *2. Reg. 24.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Pſal. 6.*

Corripe me, Domine : veruntamen in judicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. *Jer. 10.*

Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam : & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. *Pſal. 50.*

Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus : nec vi- *Jer. 10. 31.*

ri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.

Exod. 33. Scire fac me nunc viam tuam, & feram te: ut inveniam gratiam in oculis tuis.

Pſal. 50. Cor mundum crea in me, Deus: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Pſal. 118. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam tuam doce me.

Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.

Prov. 10. Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem & verba mendacii

longè

longè fac à me: mendicitatem & divitias ne dederis mihi: ale me cibo qui convenit mihi.

Libera me de ſanguinibus, Deus Deus ſalutis meæ. *Pſal. 50.*

Redime me à calumniis hominum, & ab homine iniquo & doloſo eripe me. *Pſ. 118.*

Domine pater & Deus ac dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu & in conſilio & in corde ac labiis meis: nec ſinas me cadere illa exprobratione. *Eccli. 23.*

Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne pravum deſiderium averte à me.

Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ non adpre-

hendat me: & animæ inreverenti & infrunitæ ne tradas me.

Psal. 33. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

Psal. 141. Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.

Psal. 70. Ne projicias me in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Luc. 18. Deus propitius esto mihi
Psal. 24. peccatori, & secundùm misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine.

Ps. 141. Ne derelinquas me, ne deseras me, Domine Deus salutaris meus, ne discesseris à me.

Sana me Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero, quoniam laus mea tu es: ſpes mea tu in die afflictionis. Jer. 17.

I I.

DEUS meus confundor & erubeſco levare faciem meam ad te. 1. Eſd. 9.

Quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput, & delicta noſtra creverunt uſque ad cælum à diebus patrum noſtrorum.

Sed & nos ipſi peccavimus, & graviter uſque ad diem hanc: & pro iniquitatibus noſtris traditi ſumus in gladium, & in captivitatem, & rapinam, & in confuſionem vultûs, ſicut in die hac.

Reges noſtri, principes no- 2. Eſd. 9.

ſtri, ſacerdotes noſtri, & patres noſtri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua : & ipſi in bonis multis quæ dederas eis, non ſervierunt tibi, nec reverſi ſunt à ſtudiis ſuis peſſimis.

Dan. 9. *Baruch 2.* Et nos peccavimus, impiè egimus & receſſimus ac declinavimus à mandatis tuis ac judiciis : iniquè geſſimus, Domine Deus noſter, in omnibus inſtitutis tuis.

Iſaiæ 59. Multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis : quia ſcelera noſtra nobiſcum & iniquitates noſtras cognovimus.

3. Eſd. 8. Ecce coram te ſumus in delicto noſtro : non enim

ſtari poteſt ſuper hoc.

Et nunc quid dicamus, Deus noſter, poſt hæc? quia dereliquimus mandata tua. *1. Eſd. 8.*

Tibi, Domine, juſtitia: nobis autem & patribus noſtris pudor & confuſio faciei. *Dan. 8. Baruch 2.*

Juſtus es Domine, & omnia judicia tua juſta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, veritas & judicium. *Tob. 3.*

Tu juſtus es in omnibus quæ venerunt ſuper nos, quia veritatem feciſti: nos autem impiè egimus. *2. Eſd.*

Et nunc magna judicia tua: quia non egimus ſecundùm præcepta tua, & non ambulavimus ſinceriter coram te. *Tob. 3.*

Quia non obedivimus pręceptis tuis: ideo traditi ſu-

mus in direptionem, & captivitatem, & mortem, & in fabulam & in improperium omnibus nationibus.

3. Esd. 8. Et quæ contingunt nobis, omnia ſunt propter opera noſtra maligna, & magna peccata noſtra.

Iſai. 65. Tu iratus es, & peccavimus: & facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ juſtitiæ noſtræ.

Et cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos: non eſt qui conſurgat & teneat te.

Abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.

Et nunc, Domine, pater

noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

Tu miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, cui das locum, partibus judicans. *Sap. 11 & 12.*

Et parcis omnibus, quia omnia tua ſunt, Domine, qui amas animas.

Tu vitæ & mortis habes poteſtatem, & ducis ad portas inferi & reducis.

Quæſo Domine Deus cæli, fortis, magne, atque terribilis, qui cuſtodis pactum & miſericordiam. *2. Eſd. 1. Dan. 9.*

Obſecro, Domine, ſit auris tua attendens ad orationem ſervorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum;

& dirige nos hodie.

Audi, Domine, & miſerere, quia Deus es miſericors: & miſerere noſtri, quia peccavimus ante te.

Exod. 34. Num. 14. Domine patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens: qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem:

Dimitte, obſecro, peccatum populi hujus ſecundùm magnitudinem miſericordiæ tuæ, ſicut propitius fuiſti tuis egredientibus de Ægypto.

1. Eſd. 14. Numquid iratus es nobis uſque ad conſummationem, ne dimitteres nobis reliquias ad ſalutem?

Dan. 9. Quin potiùs, Domine, in

omnem justitiam tuam, avertatur, obsecro, ira tua & furor tuus à nobis, qui propter peccata nostra in opprobrium sumus omnibus per circuitum.

Exaudi, Deus noster, orationem nostram, & ostende faciem tuam super nos, propter temetipsum.

Inclina aurem tuam atque audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram.

Si iniquitates nostræ res- *Jer. 14.*
ponderint nobis, Domine: fac propter nomen tuum.

Neque enim in justifica- *Dan. 9*
tionibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis.

Ne confundas nos: sed fac *Dan. 3.*

nobiſcum ſecundùm manſuetudinem tuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ.

Tren. 5. Converte nos, Domine, & convertemur : innova dies noſtros ſicut à principio.

Dan, 3. Erue nos in mirabilibus tuis : & da gloriam nomini tuo, Domine.

Confundantur omnes qui oſtendunt ſervis tuis mala : confundantur in omni potentia, & robur eorum conteratur.

Et cognoſcant quia tu es Dominus, Deus ſolus & glorioſus ſuper orbem terrarum.

2. *Par.* 20. Et tibi debetur honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Tu es Deus in cælo, & do-

minaris cunctis regnis. In manu tua eſt fortitudo & potentia; nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere.

Deus noſter, ergo non judicabis eos? In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus reſiſtere. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.

Domine Deus cæli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad humilitatem noſtram: oſtende, quoniam non relinquis præſumentes de te; & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humilias. *Judith. 6.*

Ne tradas, Domine, ſceptrum tuum iis qui non ſunt, *Eſther. 14.*

ne rideant ad ruinam nostram : sed converte consilium eorum super eos, & eos qui in nos ſævire cœperunt, diſperde.

Memento, Domine, & oſtende te nobis in tempore tribulationis noſtræ : & libera nos in manu tua, nullum aliud auxilium habentes niſi te, Domine Deus fortis, qui habes omnem ſcientiam.

Iſai. 63. Quare errare nos feciſti, Domine, in viis tuis ? induraſti cor noſtrum ne timeremus te ?

Iſai. 64. Ne iraſcaris, Domine, uſque valdè : & ne ultrà memineris iniquitatis noſtræ.

Eſther. 14. Avertatur ira tua à nobis, & educ nos propter te.

1. Mach. 13. Non nobis reddas ſecun-

dùm malitias noſtras, ſed ſecundùm miſericordias tuas.

Obſecro ut gradiaris nobiſcum, & auferas iniquitates noſtras atque peccata, nóſque poſſideas. *Exod. 34.*

Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac, ne moreris, propter temetipſum Deus meus. *Dan. 9.*

III.

PROTECTOR noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui. *Pſal. 83.*

Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis. *Pſ. 102.*

Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes *Pſ. 78.*

facti ſumus nimis.

Adjuva nos, Deus, ſalutaris noſter: propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Ex lib. Sacram. BB. Ambroſ. Gregor. ac Grimoldi, Alcuini, & aliorum.

Parce, Domine, parce populo tuo, ut meritis flagellationis caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret: & pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Da pacem, Domine, in diebus noſtris: quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter.

Deus à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita,

& hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

Excita quæsumus, Domine, potentiam tuam, & veni, ac magnâ nobis virtute succurre, & per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis absolvat; & ab imminentibus undique nobis periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari.

Omnipotens & misericors Deus, à bellorum nos, quæsumus, turbine fac quietos: quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis & mentis & corporis.

Deus regnorum omnium regúmque dominator, qui nos & percutiendo sanas, & ignoscendo conservas, prætende misericordiam tuam, ut tranquillitate pacis tuâ potestate firmatâ ad remedia correctionis utamur.

Vide, Domine, infirmitates nostras, & celeri nobis pietate succurre, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversi-

tatibus

tatibus & erroribus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate: & pacem tuam noſtris concede temporibus.

Da populo tuo, Domine, ſpiritum veritatis, & pacis: ut & te tota mente cognoſcat, & quæ tibi ſunt placita, tota virtute ſectetur.

Deus cujus imperium eſt omnium ſæculorum, ſupplicationes noſtras clementer exaudi, & Chriſtianorum regnum tibi ſubditum protege, ut in tua virtute fidentes & tibi placeant, & ſuper omnia regna præcellant.

Noſtris, quæſumus Domine, propitiare temporibus, ut tuo munere & regni tranquillitas, & devotio Chriſtiana dirigatur.

Deus auctor pacis caritatísque ama tor & custos, da inimicis nostris pacem, caritatémque veram, cunctorúmque eis tribue remissionem peccatorum, nósque ab eorum insidiis potenter eripe: ut qui pro peccatis nostris justè affligimur, misericordiâ tuâ præveniente, clementiam etiam sentiamus.

Omnipotens sempiterne Deus, refugium nostrum & virtus, qui abundantiâ pietatis tuæ & merita supplicantium excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut & dimittas quæ conscientia metuit, & adjicias quæ oratio non præsumit.

Cogitationes, voces &

actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut à te omnia noſtra ſemper incipiant, & per te cœpta finiantur: qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Domine Jeſu Chriſte, qui pax es noſtra, qui feciſti utraque unum, fac nos unum, ut verè tandem cantemus: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum. Introduc concordiam, pelle diſcordiam: introduc te ipſum in titulos tuos, tu mane; non alter poſſideat, & de tuis velis fallat. *B. Auguſt. ex libro de geſt. cum Emerit.*

Domine Deus pater miſericordiarum, auctor caritatis & pacis, qui medium parie- *Ex Greg. Naz. & Hieron. in Am. 3.*

tem maceriæ deſtruxiſti, & adhærentibus tibi unum ſpiritum eſſe voluiſti, pone, obſecro, finem diſſidiis noſtris. Non ſit ampliùs Juda & Iſraël, Hieruſalem & Samaria, Sion & Bethel aut Garizim, Roboam & Jeroboam. Simus tibi unum omnes, unum ſpiremus, ſub uno capite Domino noſtro Jeſu Chriſto qui tecum unus eſt.

Ex Joan. Chryſ. in epiſt. ad Rom.

Domine Deus miſericors & benigne, exaudi preces & gemitus Eccleſiæ tuæ: aperi aures cordium, & obſigna fidem in mentibus noſtris: patefac nobis Evangelium juſtitiæ, & da mentem divinorum myſteriorum capacem, ſobriam ratiocinationem, ac vitam plenam

officiorum virtutis, ut ſemper meditemur curemúſque ea quæ tua ſunt, & nobis in omni vita ſalutaria, propter meritum unigeniti Filii tui Jeſu Chriſti mediatoris ac ſalvatoris noſtri. Amen.

IV.

THRENUS.

CALIX in manu Domini *Pſal. 74.* vini meri plenus mixto: & inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.

Et bibent & turbabuntur, *Jer. 25.* & inſanient à facie gladii, quem mittet inter eos, in ſolitudinem, in ſtuporem, in ſibilum & in maledictionem, ſicut eſt dies hæc.

Et erit, qui fugerit à voce *Iſai. 24.*

formidinis, incidet in foveam: & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.

Isai. 26. Tu verò, populus meus, vade, intra in cubicula tua: claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

Ecce enim Dominus egreditur de loco suo, ut visitet iniquitates habitatoris terræ contra eum: & revelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultrà interfectos suos.

Isai. 24. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur: infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.

Quis dedit in direptionem *Iſai. 24.*
Jacob & Iſraël vaſtantibus?
nonne Dominus ipſe, cui
peccavimus? Et noluerunt
in viis ejus ambulare, & non
audierunt vocem ejus.

Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum: & combuſſit eum in circuitu & non cognovit; & ſuccendit eum, & non intellexit.

Prophetæ tui viderunt tibi *Thren. 2.*
falſa & ſtulta, nec aperiebant
iniquitatem, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt tibi aſſumptiones falſas & ejectiones.

Erraverunt cæci in plateis, *Idem 4.*
polluti ſunt ſanguine: cúmque non poſſent, tenuerunt lacinias ſuas.

Ose. 9. Venerunt dies viſitationis; venerunt dies tribulationis: ſcient ſtultum prophetam, inſanum virum ſpiritualem. Propter multitudinem iniquitatis, & multitudinem amentiæ.

Iſai. 9. Et erunt qui beatificant populum, ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati.

Ose. 9. Speculator Ephraim cum Deo propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias ejus: inſania in domo dei ejus.

Pſ. 106. Effuſa eſt contemptio ſuper principes, & errare fecit eos in invio & non in via.

Iſai. 19. Stulti facti ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos: immiſit in eos Dñs ſpiritum vertiginis.

Gentes

Gentes absque consilio, & sine prudentia: stupor & mirabilia facta sunt in terra. *Deut. 32. Jerem. 5.*

Irruit populus, vir ad virum, & unusquisque ad proximum suum: tumultuatus est puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. *Isai. 3.*

Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. *Ose. 4.*

Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.

Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus. Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. *Isai. 59.*

Thren. 4. Quum adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri in auxilium vanum, quum reſpiceremus ad gentem, quæ ſalvare non poterat.

Iſai. 36. Ecce confidimus ſuper baculum arundineum confractum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.

Thren. 5. Ægypto dedimus manus & Aſſyriis, ut ſaturaremur pane.

Iſai. 52. Aquam noſtram pecunia noſtra bibimus; ligna noſtra precio comparavimus, & gratis ipſi venundati ſumus.

Pſal. 43. In animabus noſtris afferebamus panem nobis, à facie gladii in deſerto.

Deut. 32. Jerem. 6. & 12. Foris gladius, intus pavor: gladius inimici, pavor in cir-

cuitu. Foris bellum, intus ſames & peſtis.

Induxiſti nos in laqueum: poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. *Pſal. 9.*

Servi dominati ſunt noſtri, non fuit qui redimeret de manu eorum. *Thren. 5.*

Populum exactores ſui ſpoliaverunt, & mulieres dominatæ ſunt eis. *Iſai. 3.*

Reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo. *Joel. 1.*

Et conticuerunt arva pacis à facie iræ furoris Domini. *Jerem. 25.*

Hereditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos. *Thren. 5.*

2. *Esd.* 6. Ecce nos ipſi ſervi ſumus in terra quam Deus dedit patribus noſtris : & fruges ejus multiplicantur eis quos poſuit ſuper nos propter peccata noſtra : & corporibus noſtris rebuſque dominantur ſecundùm voluntatem ſuam : & in tribulatione magna ſumus.

Dan. 3. Et nunc non poſſumus aperire os : confuſio & opprobrium facti ſumus omnibus nationibus ; ſumúſque humiles hodie in univerſa terra propter peccata noſtra.

Exod. 32. Ut quid, Domine, iraſcitur furor tuus in populum tuum? Revertere ab ira tua, & pœniteat te ſuper malum populi tui : recordare promiſſionum tuarum.

Quare in perpetuum oblivifceris noftri ? derelinques nos in longitudinem dierum? *Thren. 5.*

Nunquid fuper his continebis te Domine, tacebis & affliges nos vehementiùs ? *Isai. 64.*

O mucro Domini, ufquequo non quiefcis ? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & file. *Jerem. 47.*

Domine Deus, propitius efto, obfecro. Qui fufcitabit Jacob ? quia parvulus eft. *Am. 7.*

Cogita, Domine, fuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis : ut des nobis finem & patientiam, & invocemus te, & quærentes inveniamus te. *Jerem. 29.*

Da nobis auxilium de tribulatione : quia vana falus hominis. *Pfal. 59.*

Matth. 8. Domine, ſalva nos, perimus.

Apoc. ult. Veni, Domine, vide, & miſerere.

V.

Eſther. 14. Domine mi, qui Rex es ſolus, adjuva me ſolitarium, & cujus præter te nullus eſt auxiliator alius.

Iſai. 38. Domine, vim patior: reſponde pro me.

Eſther. 14. Periculum meum in manibus meis.

Deut. 32. Juxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.

Eſther. 14. Et nunc, Domine omnipotens, anima in anguſtiis & ſpiritus anxius clamat ad te.

Habac. 1. Uſquequo, Domine, clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis?

Uſquequo, Domine, avertis in finem? exardeſcet ſicut ignis ira tua? *Pſal. 88.*

Uſquequo videbo fugientem? audiam vocem buccinæ? *Jerem. 4.*

Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? *Pſal. 12.*

Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & dolorem, videre prædam & injuſtitiam? *Habac. 1.*

Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe?

Et facis homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem?

Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicii? Juſtitia habitavit in ea: nunc autem homicidæ. *Iſai. 1.*

Thren. 2. Hæccine urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ.

Isai. 23. Quis cogitavit hoc super quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ?

Psal. 38. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti Domine.

Psal. 119. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Tob. 3. Tu nunc, Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori magis quàm vivere.

Num. 11. Si ita tu facis mihi, occide

me, quæſo, occidendo, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne videam malum mihi.

Sufficit, Domine: tolle animam meam, non enim ſum melior patribus meis. *3. Reg. 6.*

In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis. *Pſal. 30.*

Si nunquam, bene: Si aliquando, quare non modo?

Domine Deus virtutum, Rex regum, Deus Sabaoth, in cujus manu cuncta ſunt poſita, cujus nutu ſtant cadúntque omnia, aut patriam tot tantíſque miſeriis ac calamitatibus afflictam liberare dignare: aut, ſi aliter tibi viſum eſt, ſervum tuum ad perferendam voluntatem tuam fortem effice: vel certè *B. Aug. apud Poſſ.*

me de hoc sæculo ad te attrahe.

Matth. 29. Veruntamen, non sicut ego volo, sed sicut tu, Pater.

Serm. de mort. Pati timetis, exire non vultis, quid vobis faciam?

Possid. in vita August. Non erit magnus magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.

V I.

Psal. 10. In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer?

Psal. 61. Quia ipse Dominus, Deus meus & salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.

Psal. 118. Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Psal. 70. Tanquam prodigium fa-

ctus ſum multis: ſed tu adjutor fortis.

Domine Deus virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli. *Pſal. 139.*

Miſericordiæ Domini quia non ſum conſumptus: quia non defecerunt miſerationes ejus novæ diluculo. *Thren. 3.*

Ecce Deus ſalvator meus: fiducialiter agam & non timebo. *Iſai. 12.*

Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. *Thren. 3.*

Juſtum adjutorium meum à Domino, qui facit ſalvos rectos corde. *Pſal. 7.*

Apud Dominum greſſus hominis juſti dirigetur, & viam ejus volet. *Pſal. 36.*

Cùm ceciderit, non colli-

detur: quia Dominus ſuppo-
nit manum ſuam.

Junior fui : etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.

Non confundetur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabitur.

Pſ. 144. Miſericors & miſerator Dominus, patiens & multùm miſericors.

Mich. 7. Non immittet ultrà furorem ſuum : quoniam volens miſericordiam eſt.

Revertetur, & miſerebitur noſtri : deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.

Nahu. 1. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis,

& ſciens ſperantes in ſe.

Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiſcum Deus. *Iſai. 8.*

Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat cogitationes populorum, & conſilia principum. *Pſ. 144.*

Factus eſt fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, umbraculum ab æſtu. *Iſai. 25.*

Allevat omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. *Pſ. 144.*

Dat laſſo virtutem: & ei cui non eſt, fortitudinem & robur multiplicat. *Iſai. 40.*

Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. *1. Reg. 2.*

Dominus pauperem facit

& ditat : humiliat & ſublevat.

Iſai. 42. Calamum quaſſatum non conterit, & linum fumigans non extinguit.

Pſal. 33. Juxta eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit.

Pſal. 44. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet : & ſalvos faciet eos.

Pſal. 26. Expecta Dominum : viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Habac. 2. Si moram fecerit, expecta illum : quia veniens veniet & non tardabit.

Pſal. 54. Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem juſto.

Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas. *Pſ. 124.*

Neque eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque gravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. *Iſai. 59.*

Si abjecit, & miſerebitur: ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum. *Thren. 3.*

Non perdet juſtum cum impio: & apud eum melior erit unus timens ipſum quã mille impii. *Gen. 18. Job. 17. Eccle. 16.*

Dominus judex noſter: Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſalvabit nos. *Iſai. 33.*

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Do- *Pſal. 83.*

mine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Pſ. 118. Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.

Pſal. 30. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.

Jere. 16. Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis.

Pſal. 30. Deus meus es tu: in manibus tuis ſortes meæ.

Pſal. 22. Et ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Pſal. 31. In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum.

Pſal. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium.

CHARI-

CHARITAS.

LEX DEI.

TABULA I.


ON erunt tibi dii alieni præter me. *Exod. 20. Severus Sulp. lib. II. hiſtor. ſac.*
Non facies tibi idolum.
Non ſumes nomen Dei tui in vanum.
Sabbato nullum opus facies.

II.

Honorifica patrem tuum & matrem tuam.
Non occides.
Non mœchaberis.
Non furtum facies.
Non falſum teſtimonium di-

ces adversùs proximum tuum.

Non concupiſces quidquam proximi tui.

Mich. 6. Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te : utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.

Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc eſt maximum & primum mandatum.

Secundum autem ſimile eſt huic : Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

In iis duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ.

Marc. 12. Majus horum, aliud man-

datum non eſt.

Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Matth.6.*

Diligite invicem. Præceptum Domini eſt, quod ſi ſolum fiat, ſufficit. *Joan. 13. 1. Joan. 2. Hier. in cap.6. ad Gal.*

Finis præcepti, Charitas: ſine qua nihil eſt homo. *1. Tim.1. 1.Cor.13.*

Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ. *Matth.7. Luc. 6. Tob. 4.*

Eâdem quippe menſurâ, qua menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. *Marc. 4.*

Non facietis ſinguli quod vobis rectum videtur: ſed quod præcepit tibi Dominus, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam aut minuas. *Deut.17.*

Eccle. ult. Deum time, & mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.

Psal. 33. Diverte à malo, & fac bonum : inquire pacem, & persequere eam.

Deut. 16. Justè quod justum est, persequaris.

Eccl. 29. Memento novissimorum : abstine te à lite.

Rom. 3. Non facias mala, ut veniant bona.

Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

Rom. 16 Sapientes estote in bono, & simplices in malo.

Psal. 61. Job. 11. Semel locutus est Deus : duo hæc audivi : Quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

Domine, jube quod vis: da quod jubes. *Aug.*

Da velle, da posse, da facere, da perficere. *S. Paulus.*

Domine, noverim te, noverim me. *Aug.*

Tibi, Domine, benedictio, laus, honor, virtus, gloria, & magnificentia, imperium & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

PEccavi in cælum, & coram te, Domine Deus omnipotens, nec jam sum dignus qui dicar Filius tuus, aut qui oculos in cælum adtollam præ multitudine peccatorum meorum: aut labiis meis impuris invocem gloriosum nomen tuum. Nam me & cælo & terra indignũ *Ephrem.*

reddidi : quandoquidem te, mitiſſime Domine, ad iracundiam provocavi. Obſecro, Domine, obſecro ne me rejicias à facie tua, neve à me recedas longiùs, ne peream miſer. Niſi enim gratia tua me protegat, periero, & tamquam pulvis ero ante faciem venti, ac propè in nihilum redigar. Nullus mihi lætus illuxit dies, ex quo viam tuam deſerui : & ſi quis fortè jucundior aliis viſus eſt, is mihi omnium longè acerbiſſimus fuit. Verùm gratia tua confiſus ſpero te mihi robur ac vires largiturum, quo ſaluti meæ conſulam. Et nunc ſupplex ad te confugio, & quæſo ut me à juſtitiæ tuæ ſemita procul

aberrantem in viam reducas. Oſtende in me miſericordiæ tuæ magnitudinem, quam olim in filium prodigũ oſtendiſti. Ego gratiæ tuæ divitias profundens ac perdens, vitam meam coinquinavi. Miſerere mei Deus, & ne memineris iniquitatum mearum. Miſerere, inquam, mei, ut peccatricis, ut latronis & publicani miſertus es. Illi cùm verſarentur inter homines, ab omnibus ut perditi ac deſperati rejiciebantur. Tu illos ſuſcipiens, Paradiſi incolas reddidiſti. Suſcipe igitur & pœnitentiam meam inutilis ſervi tui: quoniam apud omnes deſpectus ſum & perditus ac deſperatus. Veniſti ſiquidem, Domine,

non ut juſtos, ſed ut peccatores ad pœnitentiam vocares. Tibi gloria, tibi honor, tibi laus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ejuſdem. EXaudi, Domine, clamorem meũ, & ſuſcipe verba deprecationis meæ, quæ ego peccator timore perculſus loquor. Domine clemens & mitis atque miſericors, ne tractes me prout meritus ſum cunctis operibus meis: nec memineris iniquitatum mearum, quibus gratiam tuam irritavi. Tantùm mihi ſpatium concede, clementiſſime Domine & humani generis amantiſſime, ut reſipiſcam & pœnitentiam agam. Gratia tua quæ pertulit ado-

leſcentiæ

lescentiæ meæ iniquitates, ferat & delicta senectutis meæ. Memini, benignissime Domine, jusjurandum tuum, quod per temetipsum jurasti, dicens: Vivo ego, quia nolo mortem peccatoris & impii, sed magis ut convertatur ab iniquitatibus suis, & vivat. Clementissime Domine, pro tuis miserationibus jurasti, nolle te mortem peccatoris, sed magis ut converteretur & viveret. Ignosce igitur, Domine, qui idem semper es, mihi peccatori, qui adjuro te per viscera misericordiæ tuæ, ut mihi sis placatus & propitius. Miserere mei Domine, & noli supplicis preces obtestationemque aspernari. Tu Domine, qui

ſolus hominum corda ſcrutaris & renes, ac noſtras cogitationes perſpicis, ſatis noſti me acerbo animi dolore compulſum, hæc auſum eſſe loqui in conſpectu tuo. Reſpice, Salvator, fontes lacrymarum mearum, & contritionem ac ſuſpiria indignę animæ meæ. Adveniat miſericordia tua & protegat me, antequam terribili judicio tuo imparatus & fœdus deprehendar. Gratia tua exiguum mihi tempus veræ pœnitentiæ largitur. Nequit ea, mitiſſime Domine, peccatorem deſpicere lacrymantem: ignoſcit omni animæ, quæ ſupplex ad te confugit, & peccatorum quæ commiſit, veniam petit. Doce me Do-

mine, & duc per viam vitæ, ut ſalvus fiam.

Æterne Deus, Pater cæleſtis, Deus miſericordiæ, reſpice benignis oculis & propitio vultu ad Eccleſiam tuam, & illam ſpiritu tuo guberna ac rege, hoc præſertim duriſſimo & periculoſiſſimo ipſius tempore, quo & fides jacere, & refrigeſcere caritas in dies cernitur. Ignoſce, ô clementiſſime Deus, erratis ſtultitiæ & levitatis: compeſce improbitatem ac malitiam. Fac, quæſumus, te concordibus animis & conſentiente ſtudio obedientiæ rectè colamus, & regenerati tuo beneficio participeſque facti juſti-

tiæ æternæ, in hujus vitæ ſpatio annitamur & contendamus producere fructus dignos: ut te perpetuò celebremus ac glorificemus venerantes per unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cum quo in unitate ſancti Spiritûs vivis & regnas unus, verus, ſolus, juſtus, ſanctus, fortis, omnipotens, immortalis, miſericors Deus. Tuum eſt regnum, potentia, laus, gloria, honor, victoria ſempiterna. Amen.

Gregor. Naziãz. PEccavimus, iniquè egimus, impietatem fecimus: quoniam obliti ſumus mandatorum tuorum: & poſt cogitationes cordis noſtri

peſſum ambulavimus, nec dignè ingreſſi ſumus vocatione quâ vocaſti nos per Evangelium Chriſti tui. Nec competenter ſanctas ejus ſuſcepimus paſſiones : nec pro merito humiliationem ejus accepimus : ſed facti ſumus opprobrium dilecto tuo. Sacerdos & populus mente excidimus, in unum omnes declinavimus : ſimul inutiles facti ſumus : non eſt qui faciat judicium & juſtitiam : non eſt uſque ad unum. Excludimus miſericordias tuas, clementiam tuam à nobis, & viſcera miſerationum tuarum propter malitiam noſtram, & nequitiam peſſimæ noſtræ adinventionis avertimus. Tu nobiſcum, Domi-

ne, habuiſti voluntatem & miſericordiam, ſed nos iniquitatem. Tu patiens & multæ miſericordiæ: ſed nos duri & multis flagellis digni. Cognoſcimus bonitatem tuam, licèt increduli ſimus. Secundùm ea quæ peccavimus, parum adhuc caſtigati ſumus. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Tremor comprehendat ad te montes, & magnitudini brachii tui quis obſiſtet? Si reſolvas cataractas cæli, quis eas concludet? Leve eſt in oculis tuis pauperem & divitem facere: vivificare, & morti tradere: percutere & ſanare, quoniam hoc ipſum quod vis, opus perfectum eſt. Tu iratus es, & peccavimus, ait

quidam veterum ſupplicantium tibi. Nos autem, jam è contrario tempus eſt dicere: Nos peccavimus, & tu iratus es. Propterea effecti ſumus opprobrium vicinis noſtris, avertiſti faciem tuam à nobis, & repletus eſt vultus noſter ignominiâ: ſed parce Domine, propitiare Domine: non tradas nos in finem propter iniquitates noſtras, neque exemplum nos facias ad correptionem cæterorum. Magis, Domine, aliorum nos ſuppliciis corrige & emenda. Illarum dicimus gentium, quæ non cognoverunt nomen tuum, & potentiæ tuæ non ſunt ſubjectæ. Nos autem populus tuus, & virga hereditatis tuæ, & oves paſ-

cuæ tuæ. Propterea corripe nos Domine, veruntamen in miſericordia, & non in ira, uti non exiguos facias nos, Domine, præter omnes qui habitant terram.

PArce Domine, parce populo tuo, & non des in opprobrium hereditatem tuam: quia tantum ampliùs habemus tribulationis, quantum & honoris.

B. Machar. DOmine Deus clementiſſime, auxiliari nobis dignare. Tu enim ſcis quid nobis expediat, fac nobiſcum ſecundùm miſericordiam tuam. Deus, quomodo vis, & ſicut tibi placet, ita fiat.

Deus omnium rex, qui nos elegiſti populum tibi, & collocaſti nomen tuum inter nos, placitum ſit in conſpectu tuo, ut plantes etiam inter nos amicitiam ac fraternitatem, auferáſque quod ſine cauſa eſt, odium de medio noſtri, ne prævaleant hi in illos: neque illos contra hos petentes exaudias, neque hos contra illos orantes: qui omnes ſunt ſervi tui filiíque fœderis. *Honi Ivæ, apud Joſeph.*

ORATIONES & Preces pro Rege.

DEus patrum noſtrorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua *Sap. 9.*

constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ quæ à te facta est.

Ut disponat orbem terrarum in æquitate & justitia, & in directione cordis judicet.

Da regi nostro sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli eum reprobare à pueris tuis.

Tu elegisti eum regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum & filiarum.

Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc quum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

Mitte illam de cælis sanctis tuis, à sede magnitudinis

tuæ, ut cum illo ſit, & cum illo laboret, ut ſciat quid acceptum ſit apud te.

Scit enim illa omnia, & intelligit: & deducet eum in operibus ſuis ſobriè, & cuſtodiet eum in ſua potentia.

Et erunt accepta opera ejus, & diſponet populum tuum juſtè: & erit dignus ſedis patrum ſuorum.

Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?

Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.

Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantẽ.

Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore.

Quæ autem in cælis, quis inveſtigabit?

Senſum verò tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis: & ſi correctæ ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terra, & quæ tibi placent, didicerint homines?

Nam per ſapientiam ſanati ſunt quicunque placuerunt tibi Domine, à principio.

2. *Paral.* 1. Da igitur, Domine, ſervo tuo ſapientiam & intelligentiam: ut ingrediatur & egrediatur coram populo tuo.

Da ei cor docile, ut populum tuum judicare poſſit; & diſcernere inter bonum & malum. *3. Reg. 3.*

Deus judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis. *Pſal. 71.*

Judicare populum in juſtitia, & pauperes in judicio.

Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam.

Judicet pauperes populi, & ſalvos faciat filios pauperum; & humiliet calumniatorem.

Oriatur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.

Liberet pauperem à potente: & pauperem cui non eſt adjutor.

Parcat pauperi & inopi,

& animas pauperum ſalvas faciat.

Ex uſuris & iniquitate redimat animas eorum, & honorabile ſit nomen eorum coram illo.

Pſ.100. Perambulet in innocentia cordis ſui, in medio domus ſuæ.

Non proponat ante oculos ſuos rem injuſtam: facientes prævaricationes odio habeat.

Non adhæreat ei cor pravum: declinantem à ſe malignum non cognoſcat.

Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequatur.

Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edat.

Oculi ejus ad fideles terræ, ut ſedeant cum eo: ambu-

lans in via recta, hic ei miniſtret.

Non habitet in medio domus ejus qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua non dirigat in conſpectu oculorum ejus.

In matutino interficiat peccatores terræ, ut diſperdat de civitate operantes iniquitatem.

Faciat judicium & juſtitiam, & liberet vi oppreſſum de manu calumniatoris. *Jere. 22.*

Advenam & pupillum & viduam non contriſtet, neque opprimat iniquè: & ſanguinem innocentem ne effundat.

Abominabiles ſint ei qui agunt impiè, & juſtitiâ ejus firmetur ſolium. *Prov. 16.*

Voluntas ejus labia justa: qui recta loquitur, diligatur.

Misericordia & veritas custodiant eum, & roboretur clementiâ thronus ejus.

Prov. 20. & 29. Sedens in solio judicii dissipet omne malũ intuitu suo: & justitiâ suâ erigat terram.

Psal. 98. Honor regis judicium diligat: justitia ante eũ ambulet, & ponat in via gressus ejus.

Psal. 84. Misericordia & veritas obvient sibi, justitia & pax osculentur se.

Psal. 131. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

Psal. 79. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi.

Psal. 2. Serviat tibi, Domine, in timore:

timore: & exultet tibi cum tremore.

Apprehendat disciplinam, nequando tu irascaris, & pereat de via justa.

Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno. *Ps. 143.*

Domine, salvum fac Regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te. *Psal. 19.*

Deus qui fideles tuos ad hoc corripis ut emendes, populum tuum quæsumus ne despicias supplicantem, ut tuæ virtutis auxilio omni hostilitate depulsa, & securitas patriæ lætetur, & catholica semper exultet Ecclesia. Per, &c. *Ex v. cod. Sacram.*

POpuli tui, quæſumus omnipotens Deus, propitiare peccatis, & totius hoſtilitatis à nobis errores averte, ut regni Francorum nominis ſecura libertas in tua devotione ſemper exultet, & ab hoſtium nos defende formidine: ut omni perturbatione ſubmotâ, liberis tibi mentibus ſerviamus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regnis omnibus æterno dominaris imperio, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ; & Francorum regni adeſto principibus, ut tua tranquillitate clementes, tua ſemper ſint virtute victores.

OMnipotens & miſericors Deus, cujus regnum eſt omnium ſæculorum, ſupplicationes noſtras clementer exaudi, & Francorum regni tibi ſubditum protege principatum, ut in tua virtute fidentes & tibi placeant, & ſuper omnia regna præcellant.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cujus arbitrio regnorum omnium jura conſiſtunt, protege regni Francorum nominis ubique rectores, ut eorum votiva proſperitas, pax tuorum poſſit eſſe populorum.

Ad Missæ sacrificium.

Super oblata.

SAcrificium, Domine, quod immolamus intende, ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, & in tuæ protectionis securitate constituat: ut & à nostris mundemur occultis, & ab inimicorum liberemur insidiis. Suscipe propitius hostias, quibus & te placari voluisti; nobis salutem potenti pietate restitue. Per, &c.

Contestata sive Actio.

V D. Agnoscimus enim Domine Deus noster, agnoscimus sicut prophetica dudum voce testatus es * expectantium merita pertinere, ut servorum tuo-

rum labore quæſita ſub conſpectu noſtro manibus deripiantur alienis : & quæ deſudantibus famulis naſci tribuis, ab hoſtibus patiaris adſumi: totóque corde proſtrati ſupplices exoramus, ut & præteritorum concedas veniam delictorum, & Francorum regni nominis inimicos virtute tuæ comprimas majeſtatis ; quia tunc defenſionem tuam non diffidimus adfuturam, cùm à nobis ea quibus offendimur, dignanter expuleris, ut populus tuus fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate ſemper exultet.

PER QUEM MAJESTATEM.

HAnc igitur oblationem servitutis nostræ, quam tibi offerimus pro salute & incolumitate vel statu regni Francorum, pro quibus, Domine omnipotens Deus, tibi supplices fundimus preces, te in omnibus ducem, te in omnibus viis suis protectorem mereātur habere: Quæsumus, Domine, ut placatus suspicias.

Post Cōmun. PRotege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis & corporis, & spiritualibus enutriens alimentis, à cunctis hostibus redde securos.

FIdelem populum tuum, quæſumus, ita potentiæ tuæ muniat invicta defenſio, ut pio ſemper tibi devotus affectu, & ab infeſtis liberetur inimicis, & in tua jugiter gratia perſeveret. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

ORamus te, Domine, pro imperio, ut filius patri in eo, ſicut æquum eſt, ſuccedat, & ut id ipſum imperium cunctis populis ſub ditionē principis noſtri confluentibus, augmentum capiat & incrementum, ut quietam & tranquillam vitam agamus, & imperata omnia non gravatè exequamur.

Lact. Firm. CUſtodi quæſumus, Domine, Imperatorem noſtrum, quem rerum eſſe cuſtodem voluiſti, & voluntatem ejus inſpira qua ſemper in amore nominis tui perſeveret, quod omnibus ſit ſalutare, & ipſi ad felicitatem, & cœteris ad quietem.

Euſeb. TE ſolum ſcimus, Domine, te regem novimus, te adjutorem invocamus: per te victorias reportamus: per te hoſtibus potentiores evadimus. Tibi nos eorum quibus fruimur, bonorum debere gratiam agnoſcimus: teque futurorum etiam largitorem fore ſperamus. Tibi omnes ſupplicamus, ut Imperatorem

peratorem noſtrum filióſque ejus tui amantes quàm diutiſſimè nobis ſalvos ac victores conſerves.

QUæſumus, omnipotens Deus, ut ſereniſſimum ac religioſiſſimum dominum noſtrum N. fidei ſuæ conſervatione ſtabilias, prærogatione juſtitiæ munias, pacem ei locupletem reddas, impenſione miſericordiæ tuæ fulcias, virium fortitudine robores, commiſſa ipſi regni gubernacula diſcreto moderamine tenere concedas: ut commiſſos ſibi populos benignè regat, æquè diſponat, & jure pietatis modificet. *Syn. Are.*

Alcuin. synodi temp.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue quæſumus, ut ita in præſenti collecta multitudine cunctorum in commune ſalutem diſponat, quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat.

Collecta ex Sacr.

QUæſumus omnipotens Deus, ut famulus tuus N. qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus & vitiorum monſtra devitare, & ad te, qui via, veritas & vita es, gratioſus valeat pervenire.

Deus regnorum omnium & maximè Chriſtiani protector Imperii, da ſervo tuo regi noſtro N. triumphum virtutis tuæ ſcienter explere, ut qui tua conſtitutione princeps eſt, tuo ſemper munere ſit potens.

Deus qui ad prædicandum æterni regis Evangelium, Romanum Imperium præparaſti, prætende famulo tuo Regi noſtro arma cæleſtia, ut pax Eccleſiarum nullâ turbetur tempeſtate bellorum.

Deus in cujus manu corda ſunt regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ

aures misericordiæ tuæ, & principibus nostris famulis tuis regimen tuæ adpone sapientię, ut haustis de tuo fonte consiliis & tibi placeant, & super omnia præcellant.

S. Aug. Ench. 103. Conf. 10. c. 36. de Civit. Dei. 5. c. 12. 13. 14. 18. 21. 24. in Psal. 32. & 51. de Trin. 13. c. 13. de Civit. Dei. 20. & ep. 5.

O Domine qui jussisti, ut etiam pro regibus qui putari poterant fastu & superbiâ seculari à fidei christianæ humilitate abhorrere, preces ab Ecclesia tua tibi offerrentur : quia bonum judicasti, ut orationibus humilium dignareris salutem præstare sublimium, exaudi nos pro Christianissimo Rege nostro Ludovico famulo tuo, ut tibi regi regum serviat, non solum quia homo est, vivendo fideliter, sed

etiam quia rex eſt, ea faciendo, ad ſerviendum tibi, quæ non poſſunt facere niſi reges; tu Domine qui ſolus ſine typho dominaris, quia ſolus verus Dominus es, qui non habes Dominum, prævenieum in benedictionibus dulcedinis, ut verè & perfectè ſciat, faſtum regium diſciplinam eſſe regentis & benevolentiam conſulentis, non ſuperbiam dominantis: ut non humana tantum alatur gloria, ſed ut te datorem veræ gloriæ timeat, te diligat, te colat, & in ejus verè regio & fideli animo ipſe amor humanæ laudis erubeſcat, & cedat amori veritatis. Da illi chriſtianos & inviſibiles oculos, quibus amet

quod amandum eſt : quibus non turpes libidines , ſed inviſibilem pulchritudinem tuam, & virtutum regiarum, quas donas, fulgentiſſimum decorem unicè depereat, quibus tanto ſit ei luxuria caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior, malitque cupiditatibus pravis, quam quibuſlibet gentibus imperare. Da illi interiores oculos, quibus juſtitiam diligat, & juſtè imperet, quia remota juſtitia, nihil ſunt regna niſi magna latrocinia : & quibus clementiam toto corde teneat & amplectatur, tardius vindicans, & facile ignoſcens : quia judicas ſine miſericordia eos qui non faciunt miſericordiam. Excita in eo

Domine ſanctum illum chriſtianiſſimorum imperatorum animum, qui ſignum crucis Chriſti in fronte portaverunt: pretioſius ſignum quam quælibet gemma diadematis, qui non latius regnandi cupiditate, magis quam benefaciendi charitate flagrabant, qui in robuſtiſſimos exercitus magis orando quam feriendo pugnarunt; qui in neminem poſt victoriam privatas inimicitias valere permiſerunt; quique Eccleſiæ ſe membrum eſſe magis, quam in terra regnare gaudebant. Largire illi Domine mitem ac humilem ſapientiam tuã, ut inter linguas ſublimiter honorantium & obſequia ni-

mis humiliter ſalutantium non extollatur, ſed ſe hominem eſſe meminerit: ut ſuam poteſtatem ad tuum cultum maximè dilatandum majeſtati tuæ famulam faciat, ut glorietur ſe potentem eſſe in bonitate, ut tu Deus, non in malitia, & te regum diviniſſimum exemplar ſuſcipiat & ſequatur, qui etiam infenſiſſimum gloriæ tuæ adverſarium non potentia ſed juſtitia vincis. Accende denique benigniſſime Deus in ejus corde flammam amoris tui, ut plus amet illud regnum ubi non timet habere conſortes; ut tantum toleret terrenum illud quod das & piis, & impiis, & totis præcordiis cupiat felicitatem re-

gni cælestis tui, quam præstas solis piis, utque illam vitam desideret, quæ non degitur sub hoc solo, ubi omnia vanitas, sed sub eo qui fecit hunc solem, & in ea civitate, cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas.

Ad impetrandam gratiam bene orandi.

TEnemus Domine promissum tuum, quis corrumpet illud? si Deus pro nobis, quis contra nos? Petite & accipietis; quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit inveniet, & pulsanti aperie-

S. Aug. Conf. 12. de Dono pers. c. 23. in Psal. 118. Con. c. 14. Ep. 105. in Psal. 65.

tur. Promiſſa tua ſunt, & quis falli timeat, cum promittit veritas? Sed tu Domine, cujus munere intelligimus etiam hoc tui muneris eſſe ut oremus, hoc eſt petamus, quæramus, atque pulſemus. Ipſe nos fac petere quidquid deſideramus accipere: ipſe nos fac quærere, quem cupimus invenire: Ipſe nos fac pulſare ad quem nitimur pervenire: Effūde ſuper nos ſpirium precum, ſpiritum orationis, ſine quo non eſt quiſpiam ſalubriter oraturus; & ſpiritum, qui pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus, quia ut hoc faciamus facit, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum. Fac itaque,

ut numquam deficiam in oratione, quia quod conceſſurus es, & ſi differs, non auſers, fac ut hoc ipſum tuo beneficio deputem, & cum Propheta tuo cantem benedictus Deus meus qui non amovit deprecationem meam & miſericordiam ſuam à me; cum enim non à me amotam deprecationem meam, ſecurus ero, quia non eſt à me amota miſericordia tua.

Pro Judice & Magiſtratu.

DOMINE, qui me feciſti Antiſtitem juſtitiæ, circumfunde purpuram meam ſanctitate, adde faſcibus authoritatem. Da mihi ſcien-

tiam, da bonam conſcientiam, ut omne curriculum magiſtratus mei ubere frugum & æquitate decretorum vigeat. Da mihi adjutrices eas virtutes, quæ adhærent juſtitiæ. Hujus ſtationis intelligam hunc eſſe ſcopum, ut protegam bonos, emendem malos, tollam depravatos. Hæc mihi ſit inſita religio ut procedam in tribunali non furens, nec infeſtus, ſed vultu legis, ut æquus, verus, & inadulabilis illud inſideam: Me prius in privato probitas nobilitet, quam in foro æquitas prædicet, priuſque me vereantur homines, ut emendatum, quam timeant, ut vindicem. Similis ſim legum, quæ mutæ do-

cent, tacitæ imperant, inermes coërcent, non atteruntur, non flecti ſciunt, non ſe patiuntur exorari. Cogitem tribunal eſſe loco editiore, ut è plano aſpectari poſſit frons mea libera, manus clauſæ, pedes recti, veſtis nitida, index animi candidi. Ibi me ſedére non ut abripiar æſtu affectuum, ſed ut pectore ſedato omnia peragam. Ergo, Domine, fac ut mihi ipſe indicam patientiam audiendi. Da mihi memoriam, cujus ductu perveniam ad acumen cognoſcendi, hinc ad ſolertiam diſcutiendi, poſtremò ad fœlicitatem diſcriminandi recta à curvis, fanda à nefandis, & jus & injuriam penſitandi æquâ lance. Ab-

ſitomnis feritas, truculentia, impatientia : nihil pronuntiem partibus inauditis, nunquam incognita accipiam pro cognitis , obſcura pro liquidis , dubia pro compertis, objecta pro approbatis. Hic verò , Domine , amove ſordes errorum , purga me doctrinâ , inſtrue peritiâ legum & eruditione reconditiore. Nunquam meum tribunal patiar quati ambitu infami : nullis donis , nulla nundinatione in meam rem litem vertam. Ne norim perſonas, ſed jus : Nullis ita quatiar affectuum machinis, ut quidpiam alicui adimam propter invidiam , quod ipſum alii addam propter miſericordiam. Secundum illum dem

litem qui causâ potior erit, non qui gratiâ. Semper liqueat, imperia legum apud me esse potentiora quàm hominum; sic tamen, ut in omnibus rebus præcipua sit apud me justitiæ æquitatisque, quàm stricti juris ratio. Cogitem me esse in templo justitiæ, tuis oculis subjectum, tuoque judicio obnoxium; mihique magis quam litigatoribus esse terribilia judicia tua. Illi scilicet sub me disceptant, at ipse te inspectore causas trutino. Prius prohibeam delicta exemplo, quam vetem Edicto, & vindicem pœnâ. Non minus sim in protegenda innocentia innocenter pertinax, quàm in sceleribus vestigandis fiden-

ter perſpicax. Potiores in dubio mihi ſint cauſæ abſolvendi, quam occaſiones puniendi. Pullulantes cavillationes, inter quas veritas vaneſcit, promptè reſecem. Repullulantes animosè conteram. Virtute irrumpam iniquitates, neque extimeſcam faciem potentis. Nunquam faveam adulatoribus, iiſque qui confingunt, qui moliuntur, qui linguis geſtant crimina, ut inſontibus pericula faceſſant, eoſque opprimant. Relegem procul à me tot exorabula, tot malas artes. De vita & ſpiritu hominis nunquam non ſollicitè, nunquam non circumſpectè pronuntiem: caſum diſcernam à culpa, culpam à dolo: non

non aliter pœna ſequatur quàm ſi delictum anteierit. Severitatem meam boni venerentur, ſceleroſi & mali reformident. Meum tribunal ſit cathedra Juſtitiæ, ſchola probitatis, azylum innocentium & ſcopulus nocentium. Sic ſtatuam, quotquot adſunt, eſſe teſtes dictorum edictorum, Decretorum meorum. Hæc pronuntiem vultu blando, in primis tanta æquitate, ut hanc vel imperiti agnoſcant, & judicio victi fateantur, & iniqui vereantur. Tanta temperantia me geram ut ne quis à me turbato provocet ad me imperturbatum. Itaque, Domine, cujus eſt unius iraſci, non noſtrûm, quod ira tua

est individua comes justitiæ tuæ, & supplicium nostræ nequitiæ, nostra nihil nisi furor, cæcitas, rabies, & amentia tranquilla mihi pectus nè unquam tumescat. Da mihi mentem imperturbatam, fac desinam ab ira, & relinquam furorem. Præsta me inconcussum, nunquam ab hoc monstro mutuer vires, sed à mansuetudine gratiam. Priùs judicem, quàm movear: movear non privatis compendiis, sed solo detrimento pietatis, justitiæ, & reipublicæ, adeo ut irascar
Psal. 4. nec ideo peccem. Lædenti me ignoscam, monenti paream, nulla curiositate torquear. Scintillas virtutis, quas tua bonitas immisit in pectus

meum, non excitem igne affectuum, ſed pietate & perpetuo deſiderio juſtitiæ, ne meas ſimultates pro magiſtratu exerceam. Ne tædio vincar juriſdictionis aſſiduæ, ne dies judiciarii mihi pereant otio, incuriâ, & negligentiâ. Non aliud expectem rectæ judicationis pretium, quam conſcientiam. Nihil uſurpem ſupra munus meum, nihil infra. Militum meorum manus præſtem innoxias, quale decet eſſe ſatellitium juſtitiæ. Poſtremò, Domine, eripe me de contradictionibus populi, & tandem quomodo priuſquam inirem magiſtratum, juravi in leges, ita ſit manifeſta fides jurijurando. Per Dominum.

Pro Advocato & causarum Patrono.

DOMINE, quia jam inde à priscis temporibus advocatio emersit honestissimum officium & pars civilitatis politicæ; da ut eo innocenter utar & prudenter. Intelligam me inventum subsidio laborantibus, & præmonitui judicantibus, illis me vocem patronam commodare, his me viam, qua ad jus eant, monstrare, me esse opificem justæ defensionis, dum nudo quidquid tegitur involucris controversiarum. Huc ut perveniam, Domine, da mihi judicium rectum, ne quid iniquum in-

ſciens tuear, fiamque mini-
ſter alienæ malignitatis, in-
ſcitiæ,avaritiæ. Primum om-
nium pia advocatione apud
te, hoc eſt votis, precibuſ-
que meis cauſam ejus agam,
qui, niſi tu ei patrocinaris,
indefenſus jacet. Dein con-
ſultus non affectem laudem
cito intelligendi, ſed bene,
malimque quod huc perti-
net, cenſeri ingenio marmo-
reo, quam cereo. Reſpon-
deam non ſortito, ſed cogi-
tate. Domine, da mihi mo-
deſtiam, ne fidam meo ſin-
gulari ingenio, ſed libenter
conferam cum prudentibus,
legumque peritis, ne ſcilicet
ipſe unus decipiar, neque iis,
quorum res agitur, mea te-
meritas fraudi ſit. Iniquum

tueri, id turpe incœptu, turpius effectu putem. Potius mihi ipse interdicam advocatione, quàm crimina tegam ullo artificio. Præcipuè accurem ne flagitiosos, quorum mens est in jurgiis, lingua in perjuriis, manus in sceleribus, recipiam in meum patrocinium. Cujus negotium tuendum suscepero, huic me non aliter satisfecisse putem, quam si pro eo æque nitar ac pro me. Id vero traham ad meam solicitudinem, alienas utilitates procurans meis laboribus. Huc advocem, si quas dedisti vires industriæ, cui accedant ut adjutrices, solertia forensis, præsidia doctrinæ & decora eloquentiæ. Domine,

da, ut hæc omnia nitantur limatâ probitate. Hinc me bona fama, omniumque favor ita circundet, ut etsi ad pullatum circulum affero, uti par est, studium patroni, tamen visu continuo judicer meditari bonam causam. Usque eo vitæ, moribus, dictisque meis sit prope fides testis locupletissimi & proxima judicii authoritas; adeo ut quidquid incidet in meum patrocinium, id aut justum sit, aut saltem tale ut à me utram in partem inclinaret, internosci non potuerit, in eoque appareat non à me peccatum esse malitiâ & pertinaciâ sed mihi illusum à verisimili, quod pro vero accipi potuerit etiam ab ocu-

latiſſimo. Itaque, Domine, da ut ſic foveam negotium anceps, ut non injuſtum dici poſſit, niſi demum re judicata ſecuta, æquitate & authoritate decreti. Nihil in tali conſeſſu dicam affine vanitati, nihil animo mentiendi, & obnubilandi verum, nihil captiosè & lingua biſulci, nihil ſcurriliter, nihil ad jactationem meam, omnia reverenter, ac ſicuti ſiſtar coram te. Te videlicet præſentem intuemur, quoties judices aſpicimus, quorum vultibus tuæ Majeſtatis imaginem indidiſti. In primis, Domine, da ut litigantium utilitati innectam conſcientiam meam, ne diverſæ abeant. Inde mihi naſcatur affectus

is,

is, qui decet haſce partes, non qui eſt in ſtomacho litigatoris, non qui ſcandat ſupra tribunal, ſed qui ſe teneat intra cancellos advocationis. Ubi tribunali aſtitero, ratione certem, non probris, argumentis rerum, non licentiâ conviciandi, & temeritate maledicendi. Denique non rem clamore peragam, ſed pudore & amore meorum clientium nullis ſutelis quemquam evertam, ſed veritate convincam falſum. Denique hoc ſit munus meum, ut non audiam legum contortor, ſed fidus interpres. Nunquam ſimulatas iras alieno dolori locem. Ne item ſim humilis adorator & adulator judi-

cum, non clientes habeam ludifactui, non prædæ, ne quem ſemel compulſum in plagas meas non dimittam niſi depilatum. Non ſim incommodum fori, ſed animoſus ſatelles juſtitiæ; honorarium accipiam, non ut deformem ſtipem, aut ſicuti venditor beneficii mercedem, ſed argumentum mutuæ benevolentiæ. Sic, ut is, cui adfuero, intelligat ad ſe maximè pertinere, neque eſſe ingratum, neque videri. Concede & illud Domine, ne mihi crebræ ex advocatione victoriæ, ſi eas dederis, inflent animum uſque eo ut tenuiores aſpernanter habeam. Potiùs horum negotia alacriter ſuſcipiam, ſuſ-

cepta fideliter peragam, me conſtet probitatis augmenta quærere magis, quàm incrementa pecuniæ captare: nullius, inquam, cœptæ actionis exitum deſeram. Nunquam qui elegi neceſſitatem ſtandi, criminer jus ſedendi, ſed perpetuò tribunal venerer. Neque in hoc rerum alienarum procuratione conſeneſcam, ſed aliquando me mihi ſeponam ad contemplatum bonitatis in me tuæ. Domine ſubveni ſupplici tuo. Et quantò tu es ignoſcentior, da ut mihi in tua miſericordia plus ſit præſidii. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuū: Qui tecum vivit & regnat in unitate, &c.

Ad obtinendum à Deo in omni conditione sinceræ humilitatis sensum.

S. Prosper. Epist. ad Demetriadem.

DOMINE, qui nosti, quia prima humilitatis ratio in communis vitæ versatur officiis, quibus & divina clementia conciliatur, & societas humana connectitur, da Ecclesiæ tuæ, ut ad roborandã inter fideles tuos dilectionem, secundùm doctrinam Apostoli tui invicẽ se homines honore præveniant, & alteri alterum superiorem existimantes, ament servire subjecti, & nesciant tumere prælati: ut pauper divitem non sibi dubitet anteferre, & dives pauperem sibi gau-

deat æquare : ut ſublimes non ſuperbiant de claritate proſapiæ , & pauperes non extollantur de communione naturæ: ut non plus tribuatur magnis opibus,quàm bonis moribus; Nec major ducatur phalerata iniquorum potentia , quàm rectorum inhonora juſtitia. Sed da etiam Domine per uberiorem gratiam tuam, ut ab æquo & modeſto jure concordiæ , in quo nullum de gradu ſuperiori certamen , nec fœlicitas aut inflat propria, aut urit aliena,proficiamus ad illam humilitatis fortitudinem , quæ & ſe extra omnem conſtituit dignitatem, & mavult apta eſſe injuriis accipiendis quàm idonea repellendis.

Preces ante Confeſſionem.

DOMINE omnipotens, Deus patrum noſtrorum, & ſeminis eorum juſti, qui feciſti cælum & terram cum omni ornatu eorum, qui ligaſti mare verbo præcepti tui; qui concluſiſti abyſſum, & obſignaſti eam terribili & illuſtri nomine tuo: quem omnia horrent & tremunt à vultu virtutis tuæ: quia importabilis eſt magnificentia gloriæ tuæ, & inſuſtentabilis ira comminationis tuæ ſuper peccatores; immenſa verò & imperveſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ: Quoniam tu es Dominus altiſſimus, benignus, longani-

mis, & multùm misericors, & pœnitens super malitia hominum. Tu Domine, secundùm multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam & remissionem iis qui peccaverunt tibi: & multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus in salutem. Tu igitur Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis qui tibi non peccaverunt: sed posuisti pœnitentiam super me peccatore: quoniam peccavi super numerum arenæ maris: multiplicatæ sunt iniquitates meæ: Domine, multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non sum dignus qui defixis oculis intuear altitudinem

cæli, præ multitudine iniquitatum mearum: incurvatus ſum multo vinculo, ut non poſſim attollere caput meum; & non eſt relaxatio mihi: quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci: ut qui non fecerim voluntatem tuam, & mandata tua non cuſtodierim, & multiplicaverim offenſiones. Et nunc flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem. Peccavi Domine, peccavi, & iniquitates meas ego cognoſco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi: & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus, reſerves mala mihi, neque damnes me in intima

terræ loca, quia tu es Deus, Deus, inquam, pœnitentium: & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, quando indignum ſalvabis me ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis potentia cælorum, & tibi eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ut vita mutetur in melius & digni fiant pœnitentiæ fructus.

SI dixeris mihi ô Jeſu, dimittuntur tibi peccata tua, niſi ego peccare deſiero, quid proderit? Exui tunicam meam, ſi reinduero eam, quid profeci? ſi rurſus pedes *S. Bern. ſerm. 3. in Cant.*

meos quos laveram, inquinavero, numquid aliquid lavisse videbit? qui autem dedisti voluntatem pœnitendi, opus est, ut addas Domine & continendi virtutem, ne iterem pœnitenda, faciamque novissima mea pejora prioribus; Non sum omnino contentus priori gratia, quâ jam malorum sum pœnitens, nisi & secundam accepero, ut videlicet dignos faciam pœnitentiæ fructus, & deinceps non revertar ad vomitum. Hoc ergo restat mihi prius petendum & accipiendũ à te, Domine, quam præsumam altiora & sacratiora contingere. Nolo repente fieri summus, paulatim proficere volo, quantum dis-

plicet tibi imprudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Longus ſaltus & arduus eſt de pede ad os, ſed nec acceſſus conveniens; quid enim recenti adhuc reſperſus pulvere, ora tua ſacra contingam? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ tuæ præſentabor? per manum mihi tranſitus ſit, illa prius me tergat; illa me erigat dando mihi decorem pœnitentiæ, & dignos pœnitentiæ fructus, quæ ſunt opera pietatis, hæc me de ſtercore erigent in ſpem audendi potiora; ſane accipiendo donum oſculabor manũ tuam, hoc eſt non mihi, ſed nomini tuo dabo gloriam, dabo ſemel & dabo iterum, tum

pro donatis criminibus, tum pro collatis virtutibus.

D. Aug. prec. in Hippon. obsid.

ANte oculos tuos, Domine, culpas noſtras ferimus, & plagas quas accepimus, conferimus: minus eſt quod patimur, majus eſt quod meremur. Peccati pœnam ſentimus, peccati pertinaciam non vitamus: In flagellis tuis infirmitas noſtra vertitur, & iniquitas non mutatur; mens ægra torquetur, & cervix dura non flectitur; vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat. Si expectas, non corripimur; ſi vindicas, non duramus. Confitemur in correptione, quod egimus: obliviſcimur poſt viſitationem, quod flevi-

mus. Si extenderis manum, facienda promittimus; ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non ſolvimus: ſi ferias, clamamus ut parcas: ſi peperceris, iterum provocamus ut ferias. Habes Domine, confitentes reos: novimus quòd niſi tu dimittas, rectè nos perimus. Præſta pater omnipotens Deus, ſine merito quod rogamus, qui feciſti ex nihilo qui te rogarent.

Divi Auguſtini Oratio ante ſacram Communionem.

VOLUISTI Domine Jeſu, à duobus Diſcipulis tuis agnoſci in fractione panis, ut nos ſecuri eſſemus, panem frangentes, & te Do- *Sermon. 140. de Temp. Serm. 6. de Verbis Domini. Ser. 74. de Temp.*

Serm. 2. de Verb. Ap. in Psal. 98. & 21. Serm. 15. de Verbis Apostoli.

minum agnoſcentes. Noluiſti enim ibi agnoſci niſi propter nòs, qui non te viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eramus tuam carnem. Ita Domine, quicumque non inaniter Chriſtiani vocamur, quicumque Eccleſiam non ſine cauſa ingredimur, quicumque verbum tuum cum timore & ſpe audimus, conſolatur nos fractio panis tui, & abſentia tua non eſt abſentia: quia ſi habeamus fidem & nobiſcum tu es, quem non videmus. Sed da mihi, Domine, ut corpus tuum non premam cum turbis, ſed tanquam cum paucis. Tangit enim te fides paucorum, premit te caro multorum. To-

leras prementes, ſed quæris tangentes. Veni, Domine, non ſolum in corpus, ſed in cor meum, non enim eſſet magna fœlicitas ſi tu in domum meam intrares, non in pectus, ſicut quondam in domo Phariſæi ſuperbi recubuiſti, cùm non eſſes in corde ejus. Fateor me indignum eſſe ut etiam intres ſub tectum meum. Verba habeo humilis Centurionis, ſed da mihi ejus humilitatem, qui dicendo ſe indignum præſtiterit dignum, non in cujus parietes, ſed in cujus cor, Chriſte, intrares, atque ejus ſpiritalem domum abſens corpore, præſens Majeſtate ſanares. Qui quanto humilior fuit, tanto capacior factus eſt, tanto plenior: quia

colles aquam repellunt, valles implentur. Sed adde mihi Domine, qui etſi peccator divina tamen præcepti tui authoritate firmatus accedere audeo ad Sacramentum altaris tui, ut manducãs carnem tuam, vitam habeã in meipſo, non ſolùm Centurionis humilitatem, ſed Zachæi fidem, qui te & domo ſuſcepit & animo. Sit ſanctum corpus tuum vita mea, Deus meus: manducando vitam, habeam vitã, & ut mihi vita ſis præſta per miſericordiam tuam ut quod in ſacramẽto viſibiliter ſumo, in ipſa veritate ſpiritaliter comedam. Jam ad te accedo, Domine, & pronus adoro ſcabellum pedum tuorum, quoniam

niam ſanctum eſt; adoro carnem tuam in qua hic ambulaſti; quam ipſe nobis manducandam ad ſalutem dediſti; quam nemo manducat, niſi priùs adoraverit & quam non ſolum non peccamus adorando, ſed peccamus non adorando. Verum non te ſolum adorem, Domine, ſicut divites terræ, qui manducantes corpus humilitatis Domini ſui, adorant quidem, ſed non ſicut pauperes ſaturantur uſque ad imitationem. Sim inter humiles, Domine, & contemptores ſæculi, qui & adorant, & edunt, & ſaturantur, quia & imitantur. Veni Domine, recipiam te hoſpitem, & non ſis hoſpes quaſi

transſeuntibus: non enim habes dare diſcedendo. Veni, habita in me, & dabis: non me deſeras, non inde migres: teneam te omnino, Deus meus, poſſide me.

Alia Magni Baſilii.

DOMINE Jeſu Chriſte, Deus noſter, fons & vitæ & im mortalitatis; totius aſpectabilis & inaſpectabilis creaturæ opifex, qui patris principio carentis filius es coæternus & unà principio carens: qui ob exceſſum bonitatis in ultimis diebus carnem geſtaſti, & crucifixus es, & immolatus pro nobis ingratis & vecordibus, ac pro-

prio ſanguine reparaſti naturam noſtram à peccato corruptam, ipſe immortalis rex: accipe etiam mei peccatoris pœnitentiam, & inclina mihi aurem tuam, & exaudi verba mea: peccavi enim, Domine, peccavi in cœlum & coram te, & non ſum dignus qui intuear in altitudinem gloriæ tuæ: etenim irritavi bonitatem tuam mandatis tuis violatis, & juſſis tuis non obſervatis. Sed tu, Domine, patiens es & longanimis, & multæ miſericordiæ, non permiſiſti ut unà cum iniquitatibus meis perirem, dum meam utique converſionem expectas. Tu enim benigniſſime dixiſti per prophetam tuum; Nolo planè

mortem peccatoris, quin malo ipſum converti & vivere. Nam minimè vis Domine figmentum manuum tuarum perire: neque beneplacitum tuum eſt in interitu hominum, ſed vis omnes ſalvos fieri, & ad veritatis notitiam venire: idcirco ego, licèt indignus ſim qui cælo, terra & hac ipſa temporaria vita fruar, cùm totum me peccato ſubjecerim, & voluptatibus inſervierim, atque imaginem tuam inutilem effecerim: Verùm cùm opus & figmentum tuum fuerim, de ſalute mea infelix non deſpero: ſed ad tuam infinitam commiſerationem confiſus accedo. Quocirca excipe me perbenignè, Do-

mine, ut meretricem, ut latronem, ut publicanum, & ut prodigum: & grave pondus peccatorum meorum eripe à me: tu qui mundi peccatum tollis, & qui infirmitates hominum ſanas, qui laborantes & onuſtos ad te vocas, & quiete donas: qui non veniſti vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: & purga me ab omni inquinamento carnis,& doce me ſanctimoniam in timore perficere,ut in puro conſciẽtiæ meæ teſtimonio ſanctificationum tuarum parte ſuſcepta, ſancto tuo corpori & ſanguini uniar, atque habeã te in me habitantem, & maneam cum Patre & Spiritu ſancto. Oro, Domine JESU

CHRISTE, Deus meus, & ne in judicium mihi vertat impollutorum & vivificantium ſacramentorum tuorum participatio: néve infirmus fiam animâ& corpore,ex eo quòd indignè ea ſumpſerim. Sed concede mihi uſque ad ultimum ſpiritum ſine condemnatione portionem ſanctificationum tuarum accipere ad ſancti Spiritûs communionem, ad viaticum æternæ vitæ,& ad patrocinium acceptum & gratum, quo utar in terribili tuo tribunali,ut ego, cum omnibus electis tuis, particeps fiam immortalium bonorum tuorum, quæ paraſti amantibus te,Domine, apud quos glorificatus es in omne ævum.

Alia ejuſdem Baſilii.

SCIO, Domine, me indignè participare tuo immaculato corpori & pretioſo ſanguini tuo: reus ſum; & judicium mihi comedo & bibo, non dijudicans corpus & ſanguinem tuum, qui es Chriſtus & Deus meus; verùm miſerationibus tuis fretus accedo ad te, qui dixiſti: *Qui comedit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in ipſo.* Miſerere ergo Domine, & ne traducas me peccatorem, ſed facias mecum ſecundùm miſericordiã tuam: & hæc ſancta fiant mihi ad ſanitatem, &

purgationem, & illuſtrationem, & tutelam, & ſalutem, & ſanctificationem corporis & animi : ad averſationem omnis imaginationis & actionis pravæ, & operationis diabolicæ, quæ juxta intelligentiam in artubus meis ſitam operatur : ad fiduciam & charitatem erga te, ad emendationem vitæ & ſecuritatem, ad incrementum virtutis & perfectionis, ad integram mandatorum tuorum obſervationem, ad ſancti Spiritus communionem, ad viaticum vitæ æternæ, ad defenſionem tibi acceptam ante tremendum tribunal tuum, non ad judicium aut condemnationem.

Alia

Alia B. Joannis Chryſoſtomi.

DOmine Deus meus, noſti me dignum non eſſe, nec promeritum ut intres ſub tectum domûs animæ meæ: quia tota deſerta eſt, & ruinam minans, nec haberes apud me locum dignum in quo caput reclinares: verùm ut ab alto propter nos teipſum humiliaſti, accommoda te etiam nunc humilitati meæ: & veluti in ſtabulo & præſepi brutorum recumbere admiſiſti; ſic etiam admitte in præſepe animæ meæ à ratione alienæ & in contaminatum corpus meum ingredi: & ſicut non

detrectasti accedere ad peccatores & unà cœnare cum ipsis in domo Simonis leprosi, ita velis subire domum abjectæ animæ meæ, qui leprosus & peccator sum: & ut non repulisti similem mihi meretricem & peccatricem ad te accedentem téque tangentem, sic etiam commiseratione tuâ in me nequam ad te veniente ac te contrectante; & ut non abominatus es sordidum illius os ac facinorosum te exosculans, neque meum quoque os spurcius & flagitiosius adversaberis, neque facinorosa atque impura & profana labia mea, ac impuriorem linguam meam. Verùm fiat mihi sacrosancti corporis ac pretiosi sanguinis

tui carbo in ſanctifi atio-
nem,& illuſtrationem & cor-
roborationem humilis animæ
meæ & corporis, ad allevan-
dum onus multorum pecca-
torum meorum , ad caven-
dam omnem diabolicã ope-
rationem , ad averſationem
& obſtaculum conſuetudinis
meæ vitioſæ ac perverſæ, ad
affectionum mortificationẽ ,
ad mandatorum tuorum ob-
ſervationem , ad incremen-
tum divinæ tuæ gratiæ , &
regni tui adeptionem. Non
enim ut contemnens ad te
accedo, Chriſte Deus, ſed ut
fretus ineffabili bonitate tua,
& ut non multùm à ſocietate
tua diſtans , præda intellec-
tualis lupi fiam , idcirco te
rogo ut cùm ſolus ſanctus ſis,

Domine, ſanctifices animam & corpus, mentem & cor meum, renes & viſcera: ac totum me renova; & fac timorem tuum radices agere in membris meis, ac ſanctificationem tuam in me indelebilem effice; & eſto mihi auxiliator, & protector, in pace vitam meam gubernans; ac dignum me cenſe qui à dextris tuis cõſiſtam cum ſanctis tuis, precibus atque interceſſionibus immaculatæ Matris tuæ, miniſtrorum tuorum materiæ expertium, & incontaminatarum virtutum, omniúmque Sanctorum, qui à ſæculo tibi placuerunt. Amen.

Alia ejuſdem.

DOmine JESU CHRISTE, Deus meus, dimitte, concede, propitiare, & condona mihi peccatori & inutili & indigno ſervo tuo peccata, errores & lapſus meos, quibus in te à juventute mea & uſque ad præſentem diem & horam deliqui, ſive ſcientiâ, ſive ignorantiâ, ſive in dictis aut factis, ſive in cogitatis, aut notionibus, ſtudiis & occupationibus, atque ſenſibus meis omnibus: idque interceſſione immaculatæ, & ſemper virginis Mariæ matris tuæ, quæ te ſine ſatu concepit: quæ ſola ſine dede-

core ſpes eſt, & protectio ſalúſque mea. Dignare me ſine condemnatione participem fieri incontaminatorum, immortalium, & vivificorum, atque expavendorum Sacramentorum tuorum, ad remiſſionem peccatorum, & ad vitam æternam, ad ſanctificationem & illuſtrationem, & robur, & remedium, & ſanitatem animi & corporis, & ad deletionem, & integrã exterminationem pravorum cogitatuum meorum, & conſiliorum, & propoſitorum, & nocturnorum viſorum, tenebricolarum, & nequam ſpirituum: quia tuum eſt imperium, regnum & potentia, & gloria, & honor, & adoratio cum Patre & ſancto Spiritu,

nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia ejuſdem.

CRedo & confiteor te verè eſſe Chriſtum Filium Dei viventis, qui veniſti in mundum ad ſervandos peccatores, quorum primus ego ſum. Credo etiam hoc ipſum eſſe immaculatum corpus tuum, & hunc ipſum eſſe pretioſum ſanguinem tuum. Obſecro igitur te, miſerere mei, & ignoſce lapſibus meis ſpontaneis, involuntariis, dictis & factis, commiſſis conſultò & per ignorantiam: tum dignare me impunè ac tutò incontaminata Sacra-

menta tua participare ad remiſſionem peccatorum, & ad vitam æternam.

Alia B. Joannis Damaſceni.

ANte fores templi tui adſiſto, & à facinoroſis cogitationibus non abſiſto: verùm tu, Chriſte Deus, qui Publicanum juſtificaſti, & Cananeæ miſertus es, & latroni aperuiſti Paradiſi januas, aperi mihi benignitatis tuæ viſcera, & excipe me accedentem ac tangentem te, ut meretricem, & ſanguinis fluxu laborantem. Hæc enim fimbria tua contracta, facilè ſanationem obtinuit: illa verò impollutis pedibus

tuis contactis, delictorum suorum absolutionem nacta est. Ego verò miserandus totum corpus tuum audens accipere, quæso ne adurar; sed admitte me ut illas, & illustra ima animi mei sensa, peccati mei crimina adurens, precibus ejus quæ te sine satu peperit, & cælestium virtutum suffragiis: quia benedictus es in sæcula.

Precatio post sacram Communionem.

CUm tibi Domine in hoc verissimo & singulari sacrificio agere gatias admoneamur, quas majores tibi debemus quam quod illius

S. Aug. de spir. & litt. cap. 11. Serm. 13. de Verbis Apostoli. de Civit.

Dei 21. cap. 25. & 19. cap. 23. tr. 26. in Joan. in Psal. 21. Serm. 29. de Verbis Apostoli. Ser. 135. de Tempore.

sacrificii participes nos facis? Gratias tibi, benignissime salvator & medice, qui non solum gratis sanas ægrotos, sed sanatis etiam mercedem das & non aliud, quam teipsum. Tu es Salvator, adjutorium languidi, tu es præmium sanati. Sed quia, Domine, qui non in te manet, & in quo non manes non se dicere debet, aut existimare manducasse corpus tuum, habeam te in me manentem per virtutem cælestis sacramenti tui: manducem intus, non foris: manducem corde, non premam dente. Sim corpus tuum, quod vivat de spiritu tuo, qui vivificat animas nostras; & postquam communicavi sacrificio pacis, sacri-

ficio charitatis, ſim ipſe præclariſſimum, atque optimum Dei ſacrificium. O ſacramentum pietatis! ô ſignum veritatis! ô vinculum charitatis! qui vult vivere; habet ubi vivat, habet unde vivat. Fac me Domine vivere in te de te, tibi incorporari ut vivificer; non abhorream à compage membrorum, non ſim putre membrum, quod reſecari mereatur: non ſim diſtortum, de quo erubeſcatur: ſed pulcrum, aptum, ſanum: nunc laborem in terra, ut poſtea regnem in Cælo: Vivat cor meum, quia cibus iſte cordis eſt, etſi ambulem in medio umbræ mortis, in medio vitæ hujus, quæ umbra mortis eſt, non timeam

mala, quoniam tu mecum es: & nunc mecum ſis, ut poſt umbram mortis, etiam ego ſim tecum. Majore illo cibo firmatus ſim adverſus eos qui tribulant me, & poculum illud inebrians atque præclarum oblivionem mihi præſtet priorum vanarum delectationum. Illa eſca ſaginatus & illo calice ebrius tela ignea nequiſſimi minus ſentiam, aut ſentiens non conſentiam mortiferis illis peccatis, quæ non facit bonæ fidei & bonæ ſpei Chriſtianus. Da mihi Domine ſemper panem hunc; tale aliquid non admittam, unde à tali pane ſeparer; ut cum iſta vita tranſierit, nec ſacramentum altaris habebo acci-

pere, in cælo ſim tecum, ô Chriſte, cujus nunc corpus accipimus.

Alia incerti.

GRATES ago tibi, Deus meus, qui non repuliſti me peccatorem, ſed participem ſanctificationum tuarũ efficere dignatus es: grates ago tibi, quòd me indignum eſſe volueris conſortem immaculatorum & cæleſtium munerum tuorum. Verùm benigniſſime Domine, qui pro nobis mortuus es, & reſurrexiſti atque impertiſti nobis hæc tremenda & vivifica Sacramenta tua ad beneficentiam & ſanctificationẽ animorum & corporum noſtrorum: concede ut hæc mihi

vertant ad animæ & corporis ſanationem, ad omnis adverſi medelam, ad oculorum cordis mei illuſtrationem, ad animi facultatum pacem, ad fidem probri vacuam, ad charitatem non ſimulatam, ad ſapientiæ complementũ, ad mandatorum tuorum obſervationem, ad divinæ gratiæ incrementum, & regni tui ſocietatem: ut in ſanctificatione tua per hæc myſteria ſervatus, gratiæ tuæ perpetuò ſim memor, & non ampliùs mihi vivam, ſed tibi Domino ac benefactori noſtro; deinde ſic, ubi ex hac vita migrarim, ad æternæ vitæ ſpem, ſempiterna requie fruar, ubi feſtum diem celebrantium indeſinens at-

que immenſa voluptas eſt vultûs tui decus ineffabile. Tu enim es id quod revera optabile eſt, & inenarrabile gaudium eorum qui te, Christe Deus noſter, amant, & omnis te creatura laudet in omne ævum.

Alia B. Baſilii M. Precatio.

DOMINE JESU CHRISTE, Deus rex ſæculorum, & omnium opifex, grates ago tibi ob univerſa quæ præbuiſti nobis bona, & ob incontaminatorum & vivificantium myſteriorum tuorum participationem. Obſecro igitur te, optime ac benigniſſime, ſerva me ſub præſidio tuo & ſub alarum tua-

rum umbra; & concede mihi in conſcientia pura uſque ad extremum halitum meum dignè ſanctificatis tuis participare, ad peccatorum remiſſionem, & vitam æternam. Tu enim panis es vitæ, fons ſanctitatis, bonorum largitor: ac proinde tibi gloriam tribuimus, cum Patre & Spiritu ſancto nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.

Precatiuncula.

SACRO-SANCTUM corpus tuum, Domine JESU CHRISTE, Deus noſter, proſit mihi ad vitam æternam: pretioſus ſanguis tuus ad remiſſionem peccatorum: vertat etiam mihi hæc Eucha-

riſtia

riſtia in gaudium, ſanitatem & lætitiam: atque in ſecundo & terribili adventu tuo dignare me peccatorem ſiſtere à dextris gloriæ tuæ, precibus puriſſimæ matris tuæ, & omnium ſanctorum, Amen.

Ex Tractatu Arnaldi Carnotenſis Bonævallenſis Abbatis de Cardinalibus CHRISTI *operibus.*

ORATIO.

CLEMENTISSIME magiſter, quoties ego doctrinæ tuæ tranſgreſſus ſum regulas? quoties edicta tua, Domine ſancte, contempſi? & cùm diceres mihi, rever-


tere, non ſum reverſus: cùm minareris, non timui: cùm bonus eſſes & lenis, exaſperans fui: ultrà ſeptuagies ſepties in cælum & coram te peccavi; quis tot ſordes abluet? quis abradet ſtercora conglobata? Quidquid dicat Petrus, neceſſe eſt ut ipſe nos abluas; neque enim lavare nos poſſumus, ſed in omnibus quæ agimus indulgentiæ tuæ lavacro indigemus. Ad menſæ tuæ participationem Judas proditor eſt admiſſus, ſed ab hoc lavacro ſalutari excluſus, lavari in fine non potuit, quia Apoſtolatûs ſui honorem deteſtabili cupiditate fœdavit. Quia verò apud te fons vitæ eſt, & miſerationum quæ à

ſæculo ſunt, profunditas infinita : quos abluiſti baptiſmo , quos lavaſti ſanguine tuo, quos ſemper lavas, quotidiana peccata donando , transfer à paludibus ſæculi hujus , & luto vitæ præſentis ad purgatiſſimum gloriæ tuæ regnum , ubi nec ſcabies ulla , nec lippitudo : ubi nemo fluxum ſanguinis patiens, nemo immundus : ubi nullo ampliùs opus eſt lavacro : configurato corpori claritatis tuæ corpore noſtro , ſecundùm promiſſa tua , neceſſe eſt ut impleas , & qui incœpiſti in nobis opus bonum, perficias ſolidéſque per te Chriſtum Dominum noſtrum.

Alia ex eodem.

TU Domine, ſacerdos ſancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, ſancti hujus ſanguinis permanentem plenitudinem reliquiſti, & beneficium hujus ſancti liquoris in perpetuum tradidiſti, & conſtituiſti nobis inconſumptibiliter potum vivificum, crucis ſignum, & mortificationis exemplum: Tu conſummatis omnibus vade ad patrem, & trahe nos poſt te; da nobis in vita præſenti, ut ſimus ſine angaria bajuli crucis tuæ, & comprehendamus cũ omnibus ſanctis quid latitudo, quid longitudo, quid ſubli-

mitas, quid profundum hujus ligni ſignificet; quo conſpecto non noceat nobis neque mordeat coluber ſolitudinis: ſed incolumes per omnia ſequamur te; tecum parvuli ſimus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum jejunemus, tecum lotis pedibus panem Angelorum edamus, tecum crucifixi mundo vivamus, tecum Spiritu ſancto repleti, & corpore & ſpiritu in æternum maneamus. Qui vivis, & ultra non morieris, in ſæcula ſæculorum. Amen.



Oratio pro bono vitæ regimine.

Jer. 10. 23. SCIO, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri, ut ambulet & dirigat gressus suos; scire fac me nunc viam tuam, ut inveniam gratiam in oculis tuis.

Psal. 118. 36. Scientiam tuam doce me, inclina cor meum in testimonia tua & non avaritiam; vias tuas demonstra mihi & semitas tuas edoce me, dirige me in veritate tuâ, & doce me, quia tu es Deus salvator meus.

Psal. 50. 12. Cor mundum crea in me Deus, spiritum rectum innova in visceribus meis, & spiritu principali confirma me.

Domine Pater & Deus, ac Dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu, in consilio & in corde ac labiis meis. *Proverb. 30. 6.*

Veni Domine Jesu, & vive in hoc servo tuo, in plenitudine virtutis tuæ, in perfectione viarum tuarum, in sanctitate Spiritus tui : veni & dominare omni adversæ potestati tenebrarum, mundi, carnis, & peccati.

Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne pravum desiderium averte à me. *Eccle. 23. 5.*

Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. *Ps. 90.*

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. *Ps. 15. 1.*

Prov. 30. 7. Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar, vanitatem & verba mendacii longe fac à me, mendicitatem, & divitias ne dederis mihi.

Pſal. 70. 9. Ne projicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Pſal. 118. 106. Juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.

Pſal. 16. 1. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.

Pſal. 118. 35. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.

Pſal. 30. 16. Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

Pſal. 59. 23. Jacta ſuper Dominum curam tuam, ipſe enutriet te,

expecta

expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum: ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.

Habac. 2. 3.

Dominus prope eſt, nihil ſolliciti ſimus, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione, petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum, & pax Dei, quæ exuberat omnem ſenſum, cuſtodiat corda noſtra & intelligentias noſtras in Chriſto Jeſu, & quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate: &

Philipp. 4. 6. 7. & c.

Deus pacis erit vobiſcum.

Philip. 4. 12. & 13. Ego didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe; ſcio & humiliari, ſcio & abundare; omnia poſſum in eo, qui me confortat.

Oratio manè dicenda.

DOMINE Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire feciſti, tuâ nos hodiè ſalva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Dirigere & ſanctificare, regere & gubernare digna-

re, Domine Deus, rex cæli & terræ, hodiè corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua & in operibus mandatorum tuorum, ut hîc & in æternum, te auxiliante, ſalvi & liberi eſſe mereamur, Salvator mundi. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia in egreſſu domûs dicenda.

ABRENUNTIO tibi, Sathana, & adhæreo tibi Chriſte, qui es via, veritas & vita. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce

me. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Salvator meus. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.

Alia ante quemlibet actum.

VENI, Domine JESU, & vive in hoc servo tuo in plenitudine virtutis tuæ, in perfectione viarum tuarum, in sanctitate Spiritûs tui, in communione mysteriorum tuorum. Veni, & dominare omni adversæ potestati tenebrarum mundi, carnis & peccati. Veni ad gloriam Patris in Spiritu sancto. Amen.

Oratio in gravi morbo pro felici ex hâc vitâ exitu.

JUXTA eſt, Domine, dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. *Deut. 32. 35.*

Nunc, Domine omnipotens, anima in anguſtiis & ſpiritus anxius clamat ad te. *Baruch. 3. 1.*

Nunc magna judicia tua, quia non egimus ſecundùm præcepta tua, & non ambulavimus ſinceriter coram te. *Tob. 3. 5.*

Ne iraſcaris Domine uſque valde, neque ultra memineris iniquitatis noſtræ. *Iſay. 64. 9.*

Avertatur ira tua à nobis & educ nos propter te. *Eſther. 14.*

Neque abbreviata eſt manus Domini ut ſalvare nequeat, neque gravata eſt au- *Iſay. 59. 1.*

ris ejus ut non exaudiat.

Iſay. 33. 22. Dominus judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.

Jer. 16. 19. Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis.

Nahum. 1. 7. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis & ſciens ſperantes in ſe.

Iſay. 12. 2. Ecce Deus ſalvator meus, fiducialiter agam & non timebo.

Thr. 3. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum.

Dan. 9. 19. Exaudi, Domine, placare, Domine, attende, & fac, ne moreris propter temetipſum Deus.

Jerem. 29. 11. Cogita Domine ſuper nos

cogitationes pacis, & non afflictionis, ut des nobis finem & patientiam, & invocemus te, & quærentes inveniemus te.

Veni, Domine, vide & miſerere.

Et nunc, Domine, ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. *Tob. 3. 6.*

In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. *Luc. 23. 46.*

Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Pſal. 22. 44.*

Sufficit, Domine, tolle animam meam, expedit enim mihi mori magis, quam vivere. *Tob. 3. 6.*

Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. *Matth. 26. 29.*

Num. 23. 10. Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissimà mea horum similia. Amen.

Sermo Christi in Monte.

MATTH. V. VIdens autem Jesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

Et aperiens os suum docebat eos, dicens.

Luc. 6. 20. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Psal. 36. 11. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Isay. 61. 2. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. *Pſ.23.4.*

Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. *1.Petr.2.20.3.4.4.14.*

Beati eſtis cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes, propter me.

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: ſic enim perſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

Vos eſtis ſal terræ. Quòd *Mar.9.49.*

Luc. 14. 34. si sal evanuerit, in quo salie-
tur? ad nihilum valet ultrà,
nisi ut mittatur foras, & con-
culcetur ab hominibus.

Vos estis lux mundi. Non
potest civitas abscondi supra
montem posita.

Marc. 4. 21. Neque accendunt lucer-
Luc. 8. 16. 11. 33. nam, & ponunt eam sub mo-
1. Pet. 2. 12. dio, sed super candelabrum,
ut luceat omnibus qui in do-
mo sunt.

Sic luceat lux vestra co-
ram hominibus, ut videant
opera vestra bona, & glori-
ficent patrem vestrum, qui in
cælis est.

Nolite putare quoniam
veni solvere legem, aut pro-
phetas: non veni solvere, sed
adimplere.

Luc. 16. 17. Amen quippe dico vobis,

donec transeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Jac. 2. 10.

Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

Luc. 11. 39.

Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.

Exod. 20. 13. Deut. 5. 17.

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fra-

tri ſuo; reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca; reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.

Si ergo offers munus tuum ad altare; & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te.

Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

Luc. 14. 58. Eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris.

Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. *Exod. 20. 14.*

Ego autem dico vobis; quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. *Marc. 9. 46. Inf. 18. 9.*

Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

Dictum eſt autem: Qui- *Deut. 24. 1.*

Infr. 19. cumque dimiserit uxorem
7. suam, det ei libellum repudii.

Marc. 10. Ego autem dico vobis:
11. *Luc.* 16. Quia omnis, qui dimiserit
18. 1. *Cor.* 7. uxorem suam, excepta for-
10. nicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.

Exod. 20. Iterùm audistis quia dic-
7. *Lev.* 19. tum est antiquis: Non per-
12. *Deut.* 5. jurabis: reddes autem Do-
11. *Jac.* 5. 12. mino juramenta tua.

Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est.

Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis.

Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum

capillum album facere, aut nigrum.

Sit autem ſermo veſter, *Jac* 5.12.
eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.

Audiſtis quia dictum eſt: *Exod.* 21.
Oculum pro oculo, & den- 24. *Lev.* 24.
tem pro dente. 20. *Deut.* 19.

Ego autem dico vobis, 21. *Luc.* 6.
non reſiſtere malo; ſed ſi quis 28.
te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.

Et ei, qui vult tecum judi- 1. *Cor.* 6.
cio contendere, & tunicam 7.
tuam tollere, dimitte ei & pallium.

Et quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.

Qui petit à te, da ei: & *Deut.* 15. 8.

volenti mutuari à te,ne avertaris.

Lev. 19. 18. Audiſtis quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuũ.

Luc. 6. 27. Rom. 12. 20. Luc. 23. 34. Act. 7. 59. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.

Ut ſitis filii patris veſtri qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt?

Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt?

Eſtote

Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.

ATtendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cælis eſt. MATTH. VI.

Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.

Ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus qui

videt in abſcondito, reddet tibi.

Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Orantes autem, nolite multum loqui, ſicut Ethnici, putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.

Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.

Sic ergo vos orabitis : Pater noster , qui es in cælis : sanctificetur nomen tuum. *Luc. 11. 2.*

Adveniat regnum tuum : Fiat voluntas tua , sicut in cælo, & in terra.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

Et dimitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Et ne nos inducas in tentationem , sed libera nos à malo. Amen.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. *Eccli. 28. 3. 4. 5. Infr. 18. 35. Marc. 11. 25.*

Si autem non dimiseritis hominibus : nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Cùm autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.

Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.

Ne videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur.

Luc. 12. 23. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: ubi ne-

que ærugo, neque tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt, nec furantur. 1. Tim.6. 19.

Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit. Luc. 11. 34.

Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt?

Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ. Luc. 16. 13.

Psal. 54. 23. Luc. 12. 22. Phil. 4. 6. 1. Tim. 6. 7. 1. Petr. 5. 7.

Ideò dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum?

Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis?

Quis autem vestrûm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.

Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni

gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.

Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos modicæ fidei?

Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis.

Quærite ergo primùm regnũ Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi: ſufficit diei malitia ſua.

Matth. VII. Luc. 6. 37. Rom. 2. 1. Marc. 4. 24.

NOLITE judicare, ut non judicemini.

In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?

Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo?

Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.

Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne

ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. *Infr. 21. 22. Marc. 11. 24. Luc. 11. 9.*

Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.

Aut quis eſt ex vobis homo quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?

Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei?

Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? *Joan. 14. 13. Jac. 1. 6. Luc. 11. 11.*

Omnia ergo quæcumque *Tob. 4. 16.*

Luc. 6. 31. vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.

Luc. 13. 24. Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.

Quàm auguſta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inveniunt eam!

Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala au-

tem arbor malos fructus facit.

Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Sup.3.10.

Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Infr. 25. 11. Luc. 6, 46.

Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomi- Act. 19. 13.

ne tuo virtutes multas fecimus?

Psal. 6. 9. Infr. 25. 41. Luc. 13. 27. Luc. 6. 48. Rom. 2. 13. Jac. 1. 22.

Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.

Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.

Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruïna illius magna.

Et factum eſt: cùm conſummaſſet JESUS verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus.

Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

Marc. 1. 22. *Luc.* 4. 32.



PRECES EX VETERI Teſtamento depromptæ.

In adverſis & tentationibus.

2. Paral. 20. 15. 1. Mach. 3.


OMINE Deus noſter, in nobis quidem non eſt tanta fortitudo ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos : ſed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui ut oculos noſtros dirigamus ad te. Fac igitur, ut non timeamus, nec paveamus hanc multitudinem, quoniam non eſt noſtra pugna, ſed tua, Deus noſter : nec in multitudine exercitus

eſt victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt; non enim nos ſumus qui dimicamus, ſed tantummodò confidenter ſtare debemus, ut videamus auxilium tuum ſuper nos, & cum egredimur contra eos, tu ſis nobiſcum, Domine Deus noſter.

Pro Eccleſia dum ſævit perſecutio.

DOMINE Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſraël. Tu feciſti cælum & terram & quidquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium es, nec eſt *Eſther* 13. 9.


qui resistat majestati tuæ. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meā & propitius esto forti & funiculo tuo, & converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, & ne claudas ora te canentium.

In tribulationibus quas justè pro peccatis patimur.

Dan. 3.
Tob. 3.
BENEDICTUS es Domine, Deus patrum nostrorū, & laudabile & gloriosum nomen tuum in sæcula, quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis, & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ. Peccavimus enim & ini-

què egimus recedentes à te, nec fecimus ſicut præceperas nobis, ut bene nobis eſſet. Ne, quæſumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum: ſed in animo contrito & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur: ſicut in holocauſto arietũ & taurorũ ſic fiat ſacrificiũ noſtrũ in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non eſt confuſio confidentibus in te. Et nunc ſequimur te in toto corde & timemus te, & quærimus faciem tuam, nec confundas nos, ſed fac nobiſcum juxta manſuetudinem tuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ, quia cum iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribula-

tionis peccata dimittis his qui invocant te. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur; ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur. Et ſi in correptione fuerit ad miſericordiam tuam venire licebit; non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Iſraël, benedictum in ſæcula.



Ad impetrandam in Dei obſequio fidelem voluntatem.

DOMINE Deus omnium creator, terribilis & fortis, juſtus & miſericors, qui ſolus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus juſtus & omnipotens & æternus, qui liberas Iſraël de omni malo, cuſtodi partem tuam, & ſanctifica. Da nobis cor omnibus, ut colamus te, & faciamus voluntatem tuam corde magno & animo volenti. Adaperi cor noſtrum in lege tua & in præceptis tuis, & fac pacem. Exaudi orationes noſtras & reconciliare nobis, nec nos deſeras in tempore malo, Domine Deus noſter. *2. Mach. 1.*

BREVES ET FERVENTES
Preces ex Evangelio.

Matth.8. 2. DOMINE, ſi vis, potes me mundare.
v. 8. Domine dic tantum verbo, & ſanabitur anima mea.
v. 25. Domine ſalva nos, perimus.
9. 38. Domine JESU, tu es Dominus meſſis, mitte operarios in meſſem tuam.
15. 21. Miſerere mei Domine fili David; anima mea à dæmonio vexatur: Domine adjuva me, non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus, etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa

dominorum ſuorum.

Domine miſerere noſtri 20. 30.
fili David : fac ut aperiantur
oculi noſtri.

Pater mi, ſi poſſibile eſt 26. 39.
tranſeat à me calix iſte : verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

Credo Domine : adjuva *Marc.* 9.
incredulitatem meam. 25.

Præceptor per totam noc- *Luc.* 5. 5.
tem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.

Exi à me, quia homo pec- *v.* 8.
cator ſum Domine.

Domine doce nos orare. 11. 1.

Beatus qui manducabit 14. 15.
panem in regno Dei.

Pater peccavi in cælum & 15. 19.
coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus : fac

me ſicut unum de mercenariis tuis.

17.5. Domine adauge nobis fidem.

11.10. Domine ſervi inutiles ſumus: cum fecerimus omnia quæ præcepta ſunt nobis, quod debuimus facere fecimus.

18.13. Deus propitius eſto mihi peccatori.

25.42. Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.

v. 46. Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Joan. 1. 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

4.15. Domine da mihi hanc aquam ut non ſitiam.

5.7. Domine volo ſanus fieri: ſed hominem non habeo.

6.34. Domine ſemper da no-

bis panem hunc.

Domine ad quem ibimus, v. 69.
verba vitæ æternæ habes.

Domine ecce quem amas 11. 3.
infirmatur.

Eamus & nos, ut moria- v. 16.
mur cum eo.

Domine tu mihi lavas pe- 13. 6.
des.

Domine oſtende nobis 14. 8.
Patrem & ſufficit nobis.

Dominus meus & Deus 20. 28.
meus.



ORATIONES

Ex Epiſtolis Sancti Pauli depromptæ ut Spiritu ſancto roboremur.

Eph. 3. 14. DEus omnipotens & pater Domini noſtri JESU CHRISTI, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, da nobis ſecundum divitias gloriæ tuæ, virtute corroborari per ſpiritum tuum in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris, ut in charitate radicati & fundati poſſimus ſcire ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti,

Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei.

Ut in ſcientia Dei & amore creſcamus.

DOMINE Deus præſta, ut charitas tua in nobis magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu: ut probemus potiora: ut ſimus ſinceri & ſine offenſa in diem Christi, repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum in gloriam & laudem tuam. *Phil. 1. 9.*

Ut dignè Deo ambulemus.

ORAMUS ad te, Domine, & poſtulamus, ut impleamur agnitione voluntatis tuæ in omni ſapientia, *Coloſſ. 1. 9.*

S

& intellectu ſpirituali, ut ambulemus dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes & creſcentes in ſcientia Dei, in omni virtute confortati ſecundùm potentiam claritatis tuæ, in omni potentia & longanimitate cum gaudio: gratias agentes tibi, Domine,, qui dignos nos feciſti in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuiſti nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtuliſti in regnum Filii dilectionis tuæ.

Ut Deus operetur in cordibus noſtris, quod ipſe præſtari jubet.

Heb. 13. 20. DEus pacis, qui eduxiſti de mortuis Paſtorem

magnum ovium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, apta nos in omni bono, ut faciamus voluntatem tuam, faciens in nobis, quod placeat coram te, per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digni in Eccleſia Paſtores & Miniſtri poſtulantur.

DOMINE Jeſu, meſſis multa, operarii autem pauci. Tu ergo, qui es Dominus meſſis, mitte operarios in meſſem tuam. Tu Domine, qui noſti corda omnium, oſtende quos elegeris. Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui à te vocabitur tan-

quam Aaron. Da eos Ecclesiæ tuæ Paſtores, quos idoneos feceris miniſtros novi Teſtamenti tui, non litteræ, ſed ſpiritus. Sint irreprehenſibiles, ſobrii, prudentes, ornati, juſti, ſancti, continentes, hoſpitales, doctores, habentes myſterium fidei, in conſcientia pura; ſollicitè curent ſeipſos probabiles exhibere tibi, operarios inconfuſibiles rectè tractantes verbũ veritatis, non in ſermone adulationis, neque in occaſione avaritiæ, nec quærentes ab hominibus gloriam. Attendãt ſibi & univerſo gregi, pervigilent quaſi rationem de animabus noſtris reddituri: in omnibus ſeipſos præbeant exemplum bonorum

operum, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ut & seipsos salvos faciant, & eos qui ipsos audiunt.

ORATIONES ex Scriptis SS. Patrum collectæ.

Purus Dei amor postulatur.

DA mihi, Domine, non aliud tanquam te, non aliud præter te, non aliud post te quærere. O simplex natura, quæ simplicitatem cordis exquiris! ô æternitas quæ non potes inveniri ab his qui ad tempus credunt, & in tempore ten- *S. Bern. ser. 38. de Diversis.*

tationis recedunt,& nisi perseveranter quæsita minimè inveniris! ô integritas! ô perfectio! ô plenitudo! quæ duplicitatem non amas, indignumque tibi esse ducis, ut inveniendam te præbeas, nisi quis te perfecto quærat corde. O veritas! quæ tales quæsitores requiris, qui quærunt te in spiritu & veritate. Ne frustra quæramus te, fac ut quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter; ut nec pro te quæramus aliud, nec cum te aliud, nec à te ad aliud convertamur.

Ut nihil magnum esse intelligamus, nisi uni Deo subesse.

DONA, Domine, fidelibus tuis ut fideliter & scienter intelligentes quo opere salvati & quo pretio sunt redempti, nolint de mundi hujus sapientibus, nolint esse de fortibus. Da discipulis veritatis humanã gloriam fugere & à temporalium rerum amore desciscere, ut quæ Dei sunt, sapiant, non quæ hominum: ut viventes in hoc mundo, sed omnes mundi strepitus relinquentes, redimant tempus, quia dies mali sunt: hoc est ut ipsi mundo omnes divitias, omnes dignitates & *S. Prosp. ad Demetriad.*

universſarum cupiditatū materiam refundant, & ſancto beatóque commercio emant chriſtianā libertatem, fiántque de pauperibus divites, de patientia fortes, de humilitate ſublimes. Tribue illis per illuminationem gratiæ tuæ, ut non exiſtiment, ſicut dilectores hujus ſæculi putant, pravi cordis aut ſegnis eſſe animi terrenas opes ſpernere, honores occiduos faſtidire, nec ibi laudē quærere, ubi laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur: ſed nihil hujuſmodi mentibus rectius, nihil erectius eſſe intelligant, quæ ſacratiſſimis deſideriis univerſa tranſcendunt, neque ad ullam

lam creaturam quamvis potentem, atque mirabilem, ſed ad ipſum omnium viſibilium & inviſibilium ambiunt Creatorem: cui appropinquare, clareſcere eſt: quem timere, gaudere eſt: cui ſervire, regnare eſt.

Ut Deus revelet quid nobis præſtandum.

AD TE libenter accedimus, Domine JESU, Diſcipuli ad Magiſtrum, infirmi ad medicum, ſervi ad Dominum. Tu es enim Magiſter & Dominus, cujus ſchola eſt in terris, cathedra in cælis. Vias tuas demonſtra nobis & ſemitas tuas edoce nos. Beati qui ambu-

S. Bern. 47. 15. & 21. de Diverſis.

lant in via tua, Domine virtutum: beatiores qui currunt viam mandatorum tuorum, qui currunt in odorem unguentorum tuorum. Exultarunt gigantes Philoſophi non ad currendam viam tuam, ſed ad quærendam vanam gloriam, evaneſcẽtes in cogitationibus ſuis, non in humilitate, aut in virtutibus tuis, ſed ſuis. Nos quærimus te de die in diem & ſcire vias tuas volumus. Da nobis, Domine, ſobriam ſapientiam in pœnitudine peccatorum præteritorum, in contemptu præſentium commodorum, in deſiderio futurorum præmiorum. Aufer à nobis ſcientiam mundi, quæ docet vanitatem, &

ſcientiam carnis quæ docet voluptatem ; & tribue ſcientiam ſanctorum, quæ eſt hîc temporaliter cruciari & delectari in æternum.

Vt animus Deo ſponte ſubmittatur in tribulationibus & morbis.

Deus ſumme & optime, qui redimis de corruptione vitam meam, ſana omnes languores meos : magni enim illi ſunt, ſed major eſt medicus. Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit. Tu Domine fac tantum, ut curari me ſinam, & manus tuas ne repellam. Odiſti enim repellentem manus tuas, &

S. Aug. in Pſal. 102.
Pſ. 147.
Pſal. 91.

certè ne hoc quidem fit à nobis in medici hominis manibus. Ligari etiam volumus ab homine & ſecari, laturi pro incerta ſanitate certum dolorem, daturi magnam mercedem; tu autem, Deus, quos feciſti, certus curas; & gratis. Fallitur enim medicus homo aliquando, dum ſanitatem promittit, quia non fecit corpus quod curat; tu autem feciſti corpus noſtrum, feciſti animam noſtram. Noſti quemadmodum recrees quod creaſti, quemadmodum reformes quod formaſti. Præſta igitur Domine, ut curari à te me patiar. Multum enim ſuperbus & præceps eſt æger qui medicum monere audet, etiam

hominem. Consiliumne ergo audebit æger dare medico, ubi homo ægrotat & Deus curat? Jam ergo sævi, Domine, quantum potes, non enim tantum medicus, sed & pater es. Flagelles nos, affligas nos, conteras nos, pater es. Quod si ploro ego, ut filius plorem, sub patre plorem, non cum indignatione, non cum typho superbiæ. Quod enim patior unde plango, medicina est, non pœna: castigatio est, non damnatio; fac igitur ut non tantùm delecter cum foves, sed etiam tolerem cum secas; tolerem medicinalem dolorem futuram cogitans sanitatem. Non repellam unquam flagellum

tuum, ne ipſe ab hæreditate repellar. Quoniam quos diligis, arguis, & caſtigas omnem filium quem recipis; uſque adeo omnem, ut etiam unicum, qui ſine peccato quidem, ſed non ſine flagello. Maneam ergo flagellatus, ne remaneam exheredatus. Tu enim ab hereditate non repellis filium tuum quem caſtigas: Sed ideo flagellas, ut recipias. Gaudeam cum ad tempus emendor, ne in æternum damner. Fac me intelligere Domine, nos Chriſtianos non eſſe, niſi propter futurum ſæculum, ut præſentia toleremus, futura ſperemus. Suſcipe nos, Domine, conſolandos temporalibus, beatificandos

æternis : cum adeſt fœlicitas præſens, conſolationi tuæ gratias agam : cum deeſt, juſtitiæ tuæ gratias agam; ubique ſim gratus, nuſquam ingratus : patri conſolanti & blandienti, patri emendanti & flagellanti gratus ſim. Amas enim ſemper, ſive blandiaris, ſive mineris, ſit nomen tuum, Domine, benedictum in ſæcula.

Vt rectè de iis malis judicemus, quibus in hac vita mortali Deus afficit bonos & malos, & ut inimicorum injurias æquo animo toleremus.

DOMINE, aliquibus & hic retribuis & vidimus & didicimus, quia retri- *S. Aug. in Pſal. 30.*

buis; etenim quando humiliantur, qui te timent, si forte in aliqua dignitate hujus sæculi refulserant, humiliati non ceciderunt, quia te de corde non excluserunt, altitudo ipsorũ tu es. Quando ergo qui humiliatus videbatur, ait, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Videam foris pauperem: intus divitem: ista enim gemmæ laudis nominis tui unde sunt? non exirent de ejus ore, nisi thesaurum haberet in corde. Da mihi Domine ut tales divitias concupiscam, quas nec in naufragio possim amittere. Et tales cum humiliantur,

non putem eos miſeros, quia habent intus quo gaudeant. In terioreſt enim dominator eorum, interior eſt paſtor & conſolator ipſorum. Sed da mihi oculos, Domine, ut videam ipſos eſſe, qui malè cadunt, qui ſpem ſuam in hoc ſæculo ponunt; aufertur quod nitebat foris, nihil remanet intus, niſi fumus malæ conſcientiæ. Unde ſe conſolentur non habent, non habent quo foras exeant, non habent quo intro redeant, deſerti pompa ſæculari inanes gratia ſpiritali verè humiliantur. Illumina, Domine, mentem meam, ut cognoſcam quàm ſapienter multis facis iſta in iſto tempore, ſed non omnibus, quia

ſi nemini faceres, quaſi non videretur vigilare divina tua providentia: ſi omnibus faceres, non ſervaretur divina tua patientia; ſed fac Deus ut ſublimiſſimum illud patientiæ tuæ exemplum intuentes, diſcamus tolerare, non vindictam retribuere: nec vindicari velimus Chriſtiani, cum tu, Chriſte, nondum vindicatus ſis.

ORATIO S. THOMÆ, ad impetrandam in omnibus actionibus divinæ gratiæ opem.

CONCEDE mihi, quæſo, omnipotens & miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt ardenter concupiſcere,

prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfectè implere ad laudem & gloriam nominis tui. Domine Deus meus ordina ſtatum meum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, poſſim & velim, & da exequi ut oportet & expedit ſaluti animæ meæ. Via mihi, quæſo, ad te ſit tuta, recta, & conſummata, non deficiens inter proſpera & adverſa, ut in illis non extollar & in iſtis non deprimar. In proſperis gratias tibi referam, & in adverſis ſervem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, niſi quod promoveat ad te, vel quod abducat à te: nulli placere appetam, vel diſplicere ti-

meā nisi tibi. Omnia in charitate da facere, & quod ad cultū tuum non pertinet quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione. Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara mihi sint omnia tua, & tu Deus meus plusquam omnia. Delectet me omnis labor qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies quæ non est in te. Frequenter & ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, & defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem

ſine dejectione, maturum ſine gravitate, agilem ſine levitate, veracem ſine duplicitate, timentem ſine deſperatione, in te ſperantem ſine præſumptione, caſtum ſine corruptione, proximum corripere ſine indignatione, ipſumque ædificare verbo & exemplo ſine elatione, obedientem ſine contradictione, patientem ſine murmuratione. Da mihi, dulciſſime JESU, cor pervigil, quod nulla à te abducat curioſa cogitatio: da immobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vindicet violenta delectatio: & da rectum, quod nulla ſeor-

ſum obliquet ſiniſtra intentio. Largire mihi, dulciſſime Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te invenientem, converſationem tibi placentem, perſeverantiam te dulciter & fiducialiter amplectentem. Da tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, & tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam.



S. AMBROSII MEDIOL. Episc. Precatio præparans ad Missam.

SUMME ſacerdos & vere Pontifex JESU CHRISTE, qui te obtuliſti Deo Patri in ara crucis hoſtiam puram & immaculatam pro nobis miſeris peccatoribus: & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium in virtute Spiritus ſancti, dicens: hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis: Rogo per tuum ſanguinem pretioſum magnum ſalutis noſ-

træ pretium, rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos à peccatis nostris in sanguine tuo: Doce me servum tuum indignum, quem inter cætera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuę: doce me quæso per spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reverentia & honore, eaque devotione & timore quibus oportet & decet. Fac me Domine JESU CHRISTE, per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere, dicere

dicere & cogitare quod tibi placet & expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum, loquatur omnem veritatem tantorum myſteriorum. Profunda ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam, concede mihi hodie & ſemper miſſarum ſolemnia puro corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis, & obnoxiis cogitationibus. Muni beatorum Angelorum pia & fida tutela, atque fortiſſima cuſtodia, ut hoſtes omnium bonorum confuſi diſcedant, per virtutem tanti myſterii, &

per manum ſanctiAngeli tui. Repelle à me, Domine JESU CHRISTE, & à cunctis ſervis tuis, duriſſimum ſpiritum ſuperbiæ, cenodoxiæ, invidiæ, iracundiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & blaſphemiæ. Confundantur qui nos perſequũtur:pereant illi qui cuncta perdere feſtinant. Rex virtutum, caſtitatis & integritatis amator Deus, cæleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor totius caſtitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis ſtimulos, & omnes libidinis commotiones, & da mihi veram & perpetuam caſtitatem cum cæ-

teris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut ſacrificium laudis caſto corpore, & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim, Domine JESU CHRISTE, cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reverentia & tremore, quanta corporis caſtitate, & animi puritate, illud divinum & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum? ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi ſanguis tuus in veritate bibitur: ubi ſumma imis jungũtur: ubi adeſt prẹſentia ſanctorum angelorum: ubi tu es ſacerdos & ſacrificium mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus; quis dignè hoc celebrare poterit, niſi tu Deus omnipotens offerentem ſe-

ceris dignum? ſcio, & verè ſcio, & ipſum pietati tuæ confiteor, quia non ſum dignus accedere ad myſterium tantum, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed ſcio veraciter, & credo ex toto corde, & ore confiteor, quia potes me facere dignum, qui ſolus potes mundum facere de immundo conceptum ſemine, de peccatoribus facere juſtos & ſanctos: per hanc omnipotentiam tuam, te rogo ut concedas mihi peccatori hoc cæleſte ſacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia ſpiritali & cæleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem

beatiſſimæ præſentiæ tuæ,& excubias ſanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo. Ego enim Domine memor venerandæ paſſionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui, pro ſalute noſtra. Suſcipe ergo iſtud, quæſo ſumme Deus dulciſſime IESU CHRISTE, pro Eccleſia tua ſancta & pro cuncto populo, quem acquiſiſti ſanguine tuo pretioſo. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum medium eſſe voluiſti, licet in me boni operis teſtimonium non agnoſcas, officium diſpenſationis creditæ non re-

cuſes; nec per me indignum famulum tuum eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus victima factus ſalutaris dignatus es eſſe redemptio. Profero ergo Domine (ſi dignaris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitum, miſeriã orphanorũ, neceſſitates peregrinorũ, inopiam debilium, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum. Tu enim miſereris omnium Domine, & nihil odiſti omnium quæ feciſti. Memorare quæ ſit noſtra ſubſtantia, quia tu pater noſter es; ne iraſcaris ſatis, neque multitudinem viſcerum tuorum

ſuper nos contineas. Non enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer à nobis, Domine, iniquitates noſtras, & ignem ſancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne noſtra, & da nobis cor carneum quod te timeat, diligat, & honorificet; te delectetur, te ſequatur, & te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut ſereno vultu familiam tuam ſacri tui nominis officia præſtolãtem aſpicere digneris. Et ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe audi-

re propitius, & exaudire delecteris. Rogamus etiam te ſancte pater pro ſpiritibus fidelium defunctorum, ut ſit illis ſalus æterna, ac perpetua ſanitas, gaudium & refrigerium ſempiternum, hoc magnum pietatis ſacramentum. Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum gaudium de te pane vivo, & vero, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo, de carne ſancta, & benedicta, agni videlicet immaculati, qui tollis peccatum mundi: & potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanavit, crucifixi Domini noſtri; ut conſolati exultent in laude, & gloria tua ſancta.

Peto

Peto Domine clementiam tuam, ut descendat super hunc panem & calicem istum plenitudo divinitatis tuæ. Descendat etiam illa Domine sancti Spiritus tui invisibilis forma, & incomprehensibilis majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat; qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignum sacerdotem tuum doceat tantum tractare mysterium: ita ut placidè ac benignè sacrificium suscipias de manibus meis, ad salutem omnium tam vivorum quàm defunctorum. Rogo te Domine per ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo quotidie in

Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur, & sanctificamur, atque unius tuæ summæque divinitatis participes efficimur, quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cælestia sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et qui manducat me, ipse vivet propter me: ipse manet in me, & ego in eo. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Panis dulcissime sana palatum cordis mei, ut sentiam suavita-

tem amoris tui. Sana ab omni languore, ut nullam præter te amem pulchritudinem. Panis candidiſſime habens in te omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitatem, qui nos ſemper reficis; comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Manducat te Angelus pleno ore, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via, tali recreatus viatico. Panis ſancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui deſcendiſti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Intra in animam meam, ſana

& ſanctifica me intus & exterius. Eſto tutamen & perpetua ſalus corporis & animæ meæ. Repelle à me inſidiantes mihi. Hoſtes recedant procul à præſentia tua, ut foris & intus per te munitus recto tramite perveniam ad tuum regnum ubi non myſteriis, ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te ſatiabis ſatietate perpetua, ut nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. Qui cum eodem Deo patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX
Eorum quæ in hoc Spicilegio continentur.

Orationes & Preces.

Preces ex veteri Teſtamento depromptæ.